This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Uncatalogued
Duplicate

//

29731 f. 6

SYNOPSIS

COMMUNIUM LOCORUM,

Præcipue

Ad Mores ſpectantium:

EX

POETIS LATINIS

Tum Antiquioribus tum Recentioribus

COLLECTA:

Et in CAPITA cuique propria

DIGESTA.

In Uſum Puerorum, qui in Scholis Grammaticis Poëtarum Latinorum tum Lectione tum Imitatione prima faciunt Tyrocinia.

EDITIO QUINTA,
Accuratius recognita & caſtigata.

LONDINI,
Impenſis GUL. INNYS ad Inſignia Principis in Cœmeterio D. Pauli. MDCCXLII.

DIL
137
LIBR

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

EXhibetur tibi hic, *Benevole Lector*, SYNOPSIS Communium Locorum ad mores humanamque vitam præcipuè ſpectantium, ex Poëtarum Latinorum optimis excerpta; quam multis abhinc annis in privatum privatæ Scholæ uſum collectam, qui mihi auctor erat publici juris faciendi, id etiam mihi muneris injunxit, ut nonnulla tum de primâ occaſione conſilioque colligendi, tum de collectæ uſu & utilitate breviter præmitterem.

Vix quenquam latere arbitror (cui modò uſus *Scholarum Grammaticarum* non ſit penitùs incognitus) difficultatem tum docentibus tum diſcentibus longè graviſſimam inde plerumque exoriri, quòd hujuſmodi penſa à Tyronibus exigantur, ad quæ non ſatis parati (nè dicam penitùs imparati) ſæpiſſime accedunt. Moris enim eſt, in his Scholis, præſertim celebrioribus, ut Thema aliquod (quod vocant) pueris proponatur; cujus ſententiam tenentur illi (penſi loco) fuſiore Orationis tractu, aſcitis undique Comparationum & Exemplorum ornamentis, explicare. Unde autem puero vixdum bipedali, pauca legenti, pauciora intelligenti ſuppetat materia, ut quaſi proprio marte nudi alicujus Thematis ſibi propoſiti ſenſum rationibus probare, comparationibus illuſtrare, exempliſque confirmare ſciret, ſubſidiis penè omnibus deſtitutus? Quod enim ad Phraſeologias & Theſauros attinet, quorum multa multi ediderunt, materiæ

inveniendæ parum prosunt, utcunque rerum jam inventarum ornatui plurimùm utilia.

Et quasi hoc parum esset, ad tenera puerorum ingenia exercenda, dicam, an torquenda? adjungitur insuper, imò injungitur, ut Thematis hujusmodi argumentum numeris Poëticis discant exprimere: tanquam fas esset, infanti vixdum certo pede humum signanti saltatoris, imò funambuli partes illico mandari.

Visum est nonnullis rerum harum peritissimis, huic ætatis rudis infœcunditati optimè subveniri posse; si ob oculos puerorum ponantur exemplaria quædam, vel ex optimis auctoribus excerpta, vel proprio docentium labore composita: Visum sanè est; sed citra effectum (saltem quod ego sciam) substitit consilium, nisi quòd nonnihil hâc in re tentâsse magis quàm perfeciisse videatur, vir Doctissimus *Farnabius*, Indice suo Poëtico, Rhetorico Indici annexo: quem, non nisi nuper *Collectori* nostro vidisse contigit, nec nisi post hanc Collectionem non solummodo susceptam, sed magnâ ex parte consummatam.

Hoc ergò consilio plurima olim Capita collecta, privato aliquot annorum usu expertus haud inutilia, non ita pridem coactus puerorum assiduè transcribentium incuriâ, revisere; plurima denuò addidit, *Farnabii* potiùs auctoritate confirmatus, quàm auxilio adjutus.

His autem Exemplaribus concinnandis, id optimum duxit; nihil nisi ex Poëtarum Latinorum veterioribus, ideoque imitatione dignissimis, excerpere: nisi quod, iis ubinde deficientibus (*Plautoque* & *Terentio* ob carminum genus pueris ignotum intactis) recentiorum aliquot (eos tamen auctoritatis vix minùs

nùs indubiæ) idque rariùs, in ſuas partes vocaverit. Ex quibus quicquid occurrit, tum puerorum captui accommodatiſſimum, tum ex vulgari Scholarum uſu tritiſſimum, ſub Capitibus ſuis (quæ tot Thematum vicem ſupplerent) diſpoſuit: nullo tamen alio ordine obſervato, niſi ut priores ſedes occuparet carminum genus pueris notiſſimum, ideoque ad imitandum facillimum: diſtincta quorum genera vacuo voluit intervallo Tyronum obſervationi innoteſcere. Nec enim fas, nec neceſſe erat, ut exacta numeriſque omnibus abſoluta hæc prodirent Exemplaria; ſed quæ ad laxam Sylvarum licentiam propiùs accederent: ne quis videlicet inde locus diffuſa contrahendo, contracta dilatando, indigeſta denique diſponendo Tyronum induſtriæ non relinqueretur: quibus fortaſſe in rebus conſiſtit imitandi officium maximè præcipuum.

Et hinc, opinor, ſatis conſtat hujus collectionis utilitas: quâ ut cum majore fructu utantur Scholæ, non abs re monere viſum eſt, ut pueri Thema aliquod imitationi ſuæ propoſitum coram Magiſtro priùs exponerent: nec id oſcitanter, ſed ut ſenſum penitùs intelligant; & (ſi placet) memoriter ediſcant: Quod quò facilius fieri poſſit, loca paſſim difficiliora notis brevibus (forte tamen non obſcuris) explicantur; notatis quoque quæ occurrunt inſigniorum Troporum generibus, ut pueri jam nunc Rhetoricâ imbuerentur, exemplis quàm præceptis citiùs addiſcendâ.

Ne quid autem in imbecillorum ſubſidium comparatum, in ignavorum cederet Aſylum; meminerint præceptores, faciliora capita Tyronibus aſſignanda, quorum verba (ſenſu integro & immutato) variare diſcant; difficiliora autem & ſententiæ mi-

nûs obviæ adultioribus relinquenda, quæ tum verbis tum ſenſu variato imitari teneantur: at ſine cortice natare valentibus, horum uſu omnino interdicendum. Nec verendum hinc anſam præberi plagiariis, quinimò hinc potiùs ademptam eſſe fatebitur, quicumque ſecum reputaverit, bona publica quò magis cognita, eò minus fore furtis obnoxia.

Et ut ſua cuique loco conſtaret tum auctoritas tum elegantia (cum florum ex hortis ſuis excerptorum tota fere pereat gratia) annexum cuique capiti videas, ex quo Libro, Ode ſive Epigrammate, & in Poëmatis longioribus verſum ipſum numeratum, unde deſumptus ſit: ut liceat juventuti ſtudioſæ, ſi libeat, ipſum conſulere Auctorem, ipſoſque adire fontes, ex quibus longè dulciùs aquæ bibantur.

Non eſt hujus loci inquirere, an ſalebroſa hæc poëſeos praxis, tempeſtivam Sermonis Latini cognitionem impediat; cùm concedat idem vir Doctiſſimus, qui hanc quæſtionem haud pridem movebat, tamdiu in Scholis Grammaticis retinendam eſſe, quamdiu à junioribus Academicis hujuſmodi exercitia exiguntur: niſi quis ab inculto ſolo meſſem expectari malit, quàm ſemen utcumque incuriosâ manu ſparſum injici.

Et hæc ſunt quæ neſcire noluit eos, in quorum gratiam nugas has olim colligere, nunc edere ſuſtinuit; cui ſi immenſos eorum labores ſuis conatibus aliquâ ex parte levare contigit, ſatis amplum operæ ſuæ bene collocatæ præmium aſſecutum ſe exiſtimat.

Syllabus

Syllabus Capitum quæ in hâc SYNOPSI continentur ordine Alphabetico disposítus.

A.

Amor ingenii neminem divitem fecit. 275
Avaritia insatiabilis. 27
Alta fuge, alta cadunt. 31
Amor non celandus. 42
Amantium ira amoris redintegratio est. 43
Amor in moribus melius quàm formâ fundatur. 50
Amarum sit Salubre. 96
Amorem nutrit solicitudo. 108
Amorem fugant negotia. 109
Ars stupet malis. 116
Amor fugat negotium. 154
Aurea mediocritas tuta. 158
Ars manet, opes fluxa. 188
Affectus vix sunt ratione domandi. 189
Amor non sanandus. 190
Adversa virtutem illustrant. 192
Ætas aurea felix & innocua. 198
Artes quondam honore, nunc contemptui habita. 241

B.

Bellorum fœmina causa est. 140

C.

Cura mortalium vana. 257
Cura facit canos. 178
Conjunctio firmat. 100
Cessandum emeritis. 99
Corruptio optimi sit pessima. 3
Constat parvo fames, magno fastidium. 92

D.

Diversis diversa placent. 39
Difficilia magnanimis pulchra. 71
Dolores levat questus. 73
Desidiâ corpus animusque corrumpitur. 76

Dulcis damnosa voluptas. 133
Deus quippe qui omnipotens, non negligendus. 160
Dulcis erit mercede labor. 179
Dux præit exemplo. 205
Dolores levant studia. 223
Disce homines, moresque hominum; non somnia vatum. 264
Desine lugendi: non fas revocare sepultos. 167

E.

Est quadam virtutum vitiorumque confinitas. 37
Excitat ignavos spes famæ. 102
Educatio aspera optima. 141
Ex humili loco evecti ferociunt. 147

F.

Felices sequeris, mors; miseros fugis. 163
Felix vita domi est, non extremo orbe petenda. 175
Felices Philosophi. 115
Felicium multi comites, infelicium nulli. 9
Florescunt omnia vere. 36
Forma amat artificem. 45
Fit vivax carmine Virtus. 63
Fama mendax veloxque. 72
Femineis nec tu lacrymis, nec credito verbis. 74
Forma bonum fragile est. 104
Fortes creantur fortibus. 148
Forma non amat artificem. 181
Forsan miseros meliora sequentur. 182
Fronti nulla fides. 232

G.

Garrula lingua nocet. 77
Graves augentur tempore curæ. 113
Gravia graviorem curam exigunt pericula. 125
Gratum securis periclitantes aspicere. 184

H.

Heu quantum pœna mens conscia donat. 69
Heroës citò maturi. 103
Honos alit artes. 149
Hi labor, illis fructus. 268

Impa-

INDEX.

I.

Impatiens rivalis amor. 164
Ictus piscator sapit. 247
Ipsos alacres adhortamur. 242
Ingenii aciem contundit continuus dolor. 237
In autores scelera redierunt sua. 234
Intempestiva nocent consilia. 107
Juvat inconcessa voluptas. 29
Industriâ res parva crescunt. 132
Infelix conjugium inæquale. 145
Invidia ferit optima. 156
Indigent honesti, ditescunt improbi. 207
Imperia violenta non sunt diuturna. 216
Juventus læta, Senectus tristis. 225
Juvat intentata voluptas. 239
Idem est militia sæpe togaque decus. 263
Ingenia maxima se coli patiuntur à minoribus. 271
Invitum servare difficillimum. 162

L.

Lasi facile corrumpuntur & ignavi. 253
Legendis veteribus proficis. 212
Lapsus pudor irreparabilis. 214
Luxus in vestibus tum viris, tum fœminis vitandus. 236

M.

Magnatum consortia fugienda. 256
Minuit patientia curas. 254
Multi suis periere votis. 243
Mala assueta relinquere difficile est. 227
Mulier sævissima pellice prensâ. 204
Malorum usu indurescimus. 126
Mors grata miseris. 13
Magnanimi faciles ad ignoscendum. 18
Mors certa, tempus incertum. 19
Mori præstat quàm gloria superesse. 20
Misericordia regibus ornamento. 21
Minuuntur carmine curæ. 22
Mater artium necessitas. 25

Miſerum amicum turpe deſerere, 120
Mevnor eſto brevis evi. 170
Miſera eſt magni cuſtodia cenſus. 173
Miſeri ad metum proni. 185
Modicis humeſcere jocis Carmen alit. 195
Multis divitiæ reatûs cauſa. 210
Malè parta malè dilabuntur. 211
Mors omnibus communis 218
Miſerrimi extra periculum. 228
Moræ incommodæ. 231
Mortis cupidis mors ipſa timori eſt. 273
Mora rebus agendis utilis interdum eſt. 274

N.

Nil conſtans in amore. 112
Nil niſi nomen amicitiæ. 94
Nemo clarus, niſi qui bonus. 10
Nulla potentia longa eſt. 15
Non omnia poſſumus omnes. 47
Nè proſpera animos efferant. 58
Nil manet æternum. 91
Nummi apud amicos reponendi. 95
Non numen Amor, ſed fœda libido eſt. 128
Nullos virtûs oppreſſa fateri, eſſe Deos ſuadet. 135
Nemo ſe fugiat. 169
Non victima, ſed mens Grata Deo. 244
Nemo felix ante mortem. 199
Nulla metu caſtæ quicquam cuſtodia prodeſt. 202
Nil idem diu placet. 241
Nè quid ſupra vires. 249
Nec regitur ſtrictus citò nec deponitur enſis. 260
Nimio metu quæ timemus incurrimus. 272

O.

Otio corpus animuſque recreatur. 26
Opes irritamenta malorum. 34
Omnia vincit amor. 84
Obſequium molliendo vincit. 86
Omnia divitibus linquenda. 87
Opes non reddunt beatum. 89

Optima brevis ævi. 121

P.

Proprium eſt ſtultitiæ aliorum vitia cernere; obliviſci ſuorum. 219
Perjuria ridet amantum Jupiter. 201
Poëtarum laus perennis. 4
Pereunt optima ſine uſu. 48
Principia rerum parva. 67
Præda quàm cæca cupido eſt! 68
Pax bello potior. 78
Poſt luctum gaudia. 80
Principiis obſta. 81
Publica utilitas autori divinos honores parat. 83
Pares cum paribus facillimè congregantur. 131
Potenter regum trahunt exempla. 138
Pietas & in hoſte probanda. 157
Parva decent parvos. 259

Q.

Quæ rara chara. 186

R.

Reddunt miſero ſolatia vitam. 54
Regina pecunia rerum. 55
Re fias, quod te ſimulas. 59
Regum eſt miſereri. 129
Ruſtica vita optima. 143
Rarus ſorte ſuâ contentus. 269

S.

Sua cuique eſt patria dulcis. 14
Sine Baccho friget Venus. 40
Sors omnia verſat. 51
Spe vivimus. 53
Solamen miſeris ſocios habuiſſe dolòris. 97
Sua ſint meditata incommoda cuique. 110
Sine Venere ruit mundus. 151
Splendida regum miſeria. 153
Senectus ipſa morbus eſt. 187
Serò ſapiunt Phryges. 194

INDEX.

Senes ob ſapientiam veneratione digni. 196
Sapiens eſt omnibus aptus. 208
Summa primò navigantium audacia. 221
Soli inſunt maculæ ſuæ. 230
Stat magno violata fides. 261
Sibi imperare imperium maximum. 165

T.

Tum deeſt avaro quod habet, quàm quod non habet. 11
Tu nè cede malis 57
Tuta paupertas periculoſâ melior opulentiâ. 60
Tutum ſcelus quis, nemo ſecurum tulit. 137
Tutus ubique pius. 224
Tempus edax rerum. 240
Tempus opportunum expectandum. 266

V.

Varietas grata. 246
Vigilantis votâ dormientis ſomnia. 1
Vina Venuſque nocent 5
Utendum eſt ætate. 7
Vera amicitia adverſis probatur. 17
Uſus promptos facit. 23
Vati poſt funera gloria major. 33
Virtus optima nobilitas. 40
Veterani imbecilli. 62
Vino pelluntur curæ. 65
Vicinia damno eſt. 106
Vive hodie, cras incertum. 117
Vincenti dabitur laurea. 119
Virtus per ſe expetenda. 123
Virtus malis innoteſcit. 124
Vere omnia gaudent 172
Viciſſe minorem Dedecori eſt. —— 215
—— *Vacua carmina mentis opus.* 251
Vita brevis benefactis extendenda. 258
Vigilandum eſt ei qui cupit vincere. 267
Vitam quæ faciunt beatiorem. 270

SYNOPSIS

SYNOPSIS
COMMUNIUM LOCORUM,
Ex Poetis Latinis Collecta, &c.

CAP. I.
Vigilantis vota dormientis ſomnia.

Omnia [a] fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falſa timere jubent.
Et [b] quum te fuſco ſomnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.
Omnia [c] quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito, reddit amica quies:
Venator defeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta [1] cavetur equis.
Furto gaudet amans; permutat navita merces;
Et vigil elapſas quærit avarus opes.
Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Vatem Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſuetis ſolicitare ſolet:

Somn

Somnia [d] quæ mentes ludunt vigilantibus umbris,
Non [2] delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit; nam cùm proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit: Oppida bello
Qui quatit, & flammis miſerandas ſævit in urbes,
Tela videt, verſaſque acies, & funera regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſas orare ſolent, legeſque, forumque,
Et pavido cernunt incluſum corde tribunal.
Condit avarus opes, defoſſumque invenit aurum;
Venator ſaltus canibus quatit; eripit undis
Aut premit everſam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix, dat adultera munus,
Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat.
Somnia [e] nè cures: nam mens humana, quod optat
Cùm vigilat, ſperans, per ſomnum cernit idipſum:
Somnia nam curas referunt nocturna diurnas.

Quæcumque [f] mentis agitat infeſtus vigor,
Ea per quietem ſacer & arcanus refert
Veloxque ſenſus.———

Authorum Loca.] a Tib. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 7. b Id. *v.* 55. c Claud. Paneg. *de* 6 Conſul. Honorii, *v.* 1. d Petron. Metr. 13. e Cat. *L.* 2. *Diſt.* 31. f Sen. Oct. *v.* 729.

Notæ.] 1 *Curuli certamine cavendum eſt, ut metam centingant, nec impingant. Sic Horat.* Meta ſervidis evitata rotis. 2 *Veteres in Deorum templis ſomnia per incubationes quærebant.*

CAP.

CAP. II.

Corruptio optimi fit peſſima.

[a]QUantum 1 relligio potuit ſuadere malorum?
Nil [b] prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid utilius? ſiquis tamen urere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Terra [c] ſalutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit; & urticæ proxima ſæpe roſa eſt;
Eripit [d] interdum, modò dat medicina ſalutem,
Quæque juvans monſtrat, quæque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator;
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur, innocuas ut agat, facundia, cauſas;
Protegit hæc ſontes, immeritoſque premit.
Quodcumq; [e] attigerit 2, (ſi 3 qua eſt ſtudioſa ſiniſtri)
Ad vitium mores inſtruit 4 inde ſuos.
Nil [f] igitur matrona legat, quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior eſſe poteſt?
Omnia [g] perverſas poſſunt corrumpere mentes:
Stant tamen illa ſuis omnia 5 tuta locis.

Authorum Loca.] a Lucret. *L.* 1. *v.* 102. b Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 266. c Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 45. d Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 269. e Id. *v.* 257. f Id. *v.* 255. g Id. *v.* 301.

Notæ.] 1 *Immolationem filiæ Iphigeniæ à patre ſuo Agamemnone.* 2 *Quoſcunque libros ſumpſerit.* 3 *Si qua fœmina ſtudet res in ſiniſtram & malam partem accipere.* 4 *Ex illis libris.* 5 *Innocua.*

CAP.

CAP. III.

Poëtarum laus perennis.

CArmina morte carent, vatum inclyta fama peren-
Non [a] ſolet ingeniis ſumma nocere dies. [nis,
Nam [b] neque Pyramidum ſumptus ad ſydera ducti,
Nec Jovis Elæi cœlum imitata 1 domus,
Nec 2 Mauſolei dives fortuna ſepulchri,
Mortis ab extremâ conditione vacat:
Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondere victa cadunt:
At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet; ingenio ſtat ſine morte decus.
Caſibus [c] hoc nullis, annis delebile nullis,
Vivet; 3 Apellæum cùm morietur opus.
Lector [d], opes 4 noſtræ, quem cùm mihi Roma de-
Nil tibi quod demus, majus habemus, ait. [diſſet,
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina 5 Lethes;
Et meliore tui parte ſuperſtes eris.
Marmora 6 Meſſalæ findit caprificus; & audax
Dimidios 7 Criſpi 8 mulio ridet equos.
At nec furta nocent chartis, nec fæcula præſunt,
Solaque non nôrunt hæc monumenta mori.
Hæc [e] urbem 9 circa, ſtulti monumenta laboris,
Quaſque vides moles, 10 Appia, marmoreas,
Pyramidaſque auſas vicinum attingere cœlum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die,
Et Mauſoleum, miſeræ ſolatia mortis,
Intulit æternum quo 11 Cleopatra 12 virum,
Concutiet ſternetque dies; quoque altius exſtat
Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.

Carmina

Carmina ſola carent fato, mortemque repellant,
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

Authorum Loca.] a Ov. *de* Pon. *L.* 4. *El.* 16. *v.* 2. b Prop. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 57. c Mart. *L.* 7. *Ep.* 83. d Mart. *L.* 10. *Ep.* 2. e *Ep.* Petronii Antigenidis, *in Edit.* Petronii Arb. *cum Notis varior.* pag. 545.

Notæ.] 1 *Templum Jovi ſacrum Elide urbe Peloponneſi.* 2 *Mauſoli ſepulchrum ab uxore Artemeſiâ extructum.* 3 *Opus Apellis pictoris celeberrimi.* 4 *Carmen Poëtæ opum inſtar.* 5 *Vives ab oblivione vindicatus. Lethe enim flumen infernum oblivionis.* 6 *Marmorea Meſſalæ monumenta.* 7 *Neronis vitrici Romanorum ditiſſimi.* 8 *Infimæ ſortis bonuncio.* 9 *Romam.* 10 *Viâ Romæ marmoreis ædificiis inclyta.* 11 *Ægypti Regina.* 12 *M. Antonium.*

CAP. IV.

Vina Venuſque nocent.

NEC Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Nam parili exitio vina Venuſque nocent.
Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.
Multos cæcus Amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello,
Et 4 Lapithas bello perdis, 2 Iacche, gravi.
Denique cùm mentes hominum furiârit uterque,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abeſt;
Compedibus Venerem, vinclis conſtringe 2 Lyæum;
Nè te muneribus lædat uterque ſuis.
Vina ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines tranſiluiſſe nocet.

Turpis

Turpis [b] amor, vinumque, nihil tolerabile ſuadent,
Nempe pudore vacat 2 Liber, Amorque metu.
Ah [c] pereat, quicumque meracas repperit uvas,
Corrumpitque bonas nectare primus aquas.
Icare 3, Cecropiis 4 meritò jugulate colonis,
Pampineus, nôſti, quàm ſit amarus odor.
Tu quoque, ô Eurytion, vino, Centaure, periſti;
Nec non Iſmario tu, 5 Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.
Certa [d] tibi à nobis dabitur menſura bibendi;
Officium præſtent menſque, pedeſque, ſuum.

Authorum Loca.] a *Epig.* Virg. *aſcriptum.* b Ov. Am. *L.* 1. *El.* 6. *v.* 59. c Prop. *L.* 2. *El.* 24. *v.* 27. d Ov. Art. Amandi, *Lib.* 1. *v.* 591.

Notæ.] 1 *Populum Theſſaliæ quem Peritheoi nuptiis Centauri adverti ſunt.* 2 *Numen Bacchi, pro vino. Metonym.* 3 *Qui & Icarius, vini apud Athenienſes inventor à quibus occiſus erat.* 4 *A Cecrope primo rege, Athenienſes dicti Cecropii.* 5 *Cyclopum unus ab Ulyſſe vino (ex Iſmaro Thraciæ monte advecto) ſopitus, deinde exculatus.*

CAP.

CAP. V.

Utendum eſt ætate.

[a] TEmpora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis,
Et fugiunt, fræno non remorante, dies.
Utendum [b] eſt ætate; cito pede præterit ætas,
Quàm cupæres votis hunc revocare diem?
At [c] tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere; non tardo labitur illa pede.
Venturæ [d] memores jam nunc eſtote ſenectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Diſcite; ſunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, rurſum revocabitur unda,
Nec, quæ præteriit, hora redire poteſt.
Ah [e] ſi tardus eris, errabis; tanſiet ætas:
Quàm citò non ſegnis remeatque dies!
Quam citò purpureos deperdit terra colores!
Quam citò formoſas populus ante comas!
Vidi [f] jam juvenem, premeret cùm ſerior ætas,
Mœrentem ſtultos præteriiſſe dies.
Dum [g] vires annique ſinunt, tolerate laborem;
Jam veniet tacito curva ſenecta pede.
Aut mare remigiis, aut vomere findite terras,
Aut fera belligeras addite in arma manus.
Dum [h] vernat ſanguis, dum rugis integer annus,
Utere, nè quis eat abſque labore dies.

Feſtinat [i] rapido curſu decurrere velox
Floſculus anguſtæ, miſeræque breviſſima vitæ

Portio;

Portio; dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, 2 obrepit non intellecta ſenectus.
Tunc [k] craſſos 3 tranſiſſe dies, lucemq; 4 paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuêre relictam.
Invigilate [l], viri; ſubito nam tempora greſſu
Diffugiunt, nulloque ſono convertitur annus.
Labitur [m] occultè fallitque volatilis ætas,
Et nihil eſt annis velocius. ———
——— [n] Currit mortalibus ævum;
Nec naſci bis poſſe datur; quis 5 luce ſuprema
Dimiſiſſe bonas ſerò non ingemit horas?

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 6. *v.* 771. b Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 65. c Tibull. *L.* 1. *El.* 9. *v.* 47. d Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 59. e Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 23. f Id. *v.* 29. g Ovid. Art. Am. *L.* 2. *v.* 669. h Prop. *L.* 4. *El.* 5. *v.* 57. i Juv. *Sat.* 9. *v.* 126. k Perſ. *Sat.* 5. *v.* 60. l Juv. *ut citatur in* Lil-lii Gram. m Ov. Metam. *L.* 10. *v.* 519. n Sil. It. *L.* 15. *v.* 63, *& infra.*

Notæ.] 1 *Populus arbor perdit folia.* 2 *Clam venit.* 3 *Obſcuros & deſidiâ torpentes.* 4 *Ignaviæ velut nubilo involutam.* 5 *Ultimo vitæ die.*

CAP.

CAP. VI.

Felicium multi comites, infelicium nulli.

[a] DOnec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ?
Accipiet nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes, radios per Solis euntibus umbra est;
Cùm latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur Fortunæ lumina vulgus,
Quæ simul inductâ nube teguntur, abit.
Diligitur [b] nemo, nisi cui Fortuna secunda est;
[c] Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.
En 1 ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis 2 aura secunda meis;
Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento;
In mediis, lacerâ puppe, relinquor aquis.
Dum [c] juvat & vultu ridet Fortuna sereno,
Indelibatas 3 cuncta sequuntur opes:
At simul 4 intonuit, fugiunt; nec noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modò cinctus erat.
Vix [d] duo treve mihi de tot superestis amici;
Cætera Fortunæ, non mea, turba fuit.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. *L.* 1. *El.* 8. *v.* 5. b Ov. *de* Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 23. c Ov. Trist. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 27. d Ov. Trist. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 33.

Notæ.] 1 *Ovidius de se loquitur.* 2 *Prospera fortuna. Metaph.* 3 *Intactas & integras. Metaph.* 4 *Fortuna sævire cœpit. Utpote quam sequuntur.*

CAP.

CAP. VII.

Nemo clarus, niſi qui bonus.

[a]CLarus, nominibus qui cùm generoſus avitis,
Exſuperat morum nobilitate genus:
Cujus ineſt animo patrii candoris imago,
Non ſcutum Inſigni cujus inane micat.
Nam [b] genus, & proavos & quæ non fecimus ipſi,
Majorum & titulos, vix ea noſtra voco.
Si [c] modò nec cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit:
Magnus [d], qui clarum nomen virtutibus implet,
Nec ſinit ingenium nobilitate 1 premi.
Sit [e] licèt & titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipſa tamen virtus ordine major erit.
Forma [f] vigorque animi (quamvis de plebe 2 videbar)
Indicium tectæ nobilitatis erant.

Tota [g] licèt veteres exornent undique 3 ceræ
Atria; Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Non [h] vetera patriæ jura 4 poſſideo domûs
Ignavus hæres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus:
Sed clara virtus: qui genus jactat ſuum,
Aliena laudat. ———

Vide Juven. Satyr. 8 *totam.*

Autborum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 4. *v.* 1. b Ov. Metam. *L.* 13. *v.* 140. c Ov. *de* Pon. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 39. d Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 1. e Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 7. *v.* 17. f Ov. Ep. Par. Hel. *ver.* 51. g Juv. *Sat.* 8. *ver.* 19. h Sen. Herc. Fur. *v.* 337.

Notæ.] 1 *Obrui, ſuperari.* 2 *Verba Paridis de ſe.* 3 *Cereæ majorum imagines potentiorum atriis diſpoſitæ.* 4 *Verba Lyci de ſe Thebarum tyranni.*

CAP

CAP. VIII.

Tam deeſt avaro quod habet, quàm quod non habet.

[a] QUid mihi divitiæ; quarum ſi demſeris uſum,
Quamvis largus opum, ſemper egenus ero?
Immo etiam pœna eſt partis incumbere rebus,
Quas cùm poſſideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.
Efficior cuſtos rerum magis ipſe mearum,
Conſervans aliis, quæ periere mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurîmus 1 hortis
Pervigil obſervat non ſua poma Draco.
Hinc me ſolicitum torquent ſuper omnia curæ,
Hinc requies animo non datur ulla meo:
Queis uti nequeo, ſemper retinere laboro,
Et retinens, ſemper nil tenuiſſe puto.
Non [b] bibit inter aquas, nec poma natantia carpit
Tantalus infelix, quem ſua vota premunt:
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & ſicco concoquit ore famem.
Quid [c] mihi fortunæ tantum, quid regna ſine uſu?
Quid niſi poſſedit dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti 2 vulgator in undis,
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.

Tantalus [d] à labris ſitiens fugientia captat
Flumina; quid 3 rides? mutato nomine de te

Fabula

Fabula narratur; congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians; & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quò valeat nummus? quem præbeat uſum?
——— [e] Avaros ſcilicet urit
Defectûs miſeri metus, & miſer ardor habendi,
Atque ita & inter opes inopes, quaſi Tantalus ille,
Inter aquas ſitiunt, nec habent quod habere videntur.

Contemptæ [f] dominus 4 ſplendidior rei,
Quàm ſi, quicquid arat non piger 5 Appulus,
Occultare meis dicerer horreis;
Magnas inter opes inops.

Autborum Loca.] a Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 181. b Petron. Metrum. 9. c Ovid. Am. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 49. d Hor. *L.* 1. *Sat.* 1. *v.* 68. e Paulinus Natali IX. Fel. f Hor. *L.* 3. *Od.* 16.

Notæ.] 1 *Hortis Heſperidum, nemore aurifero pretioſis, à vigili Draconе cuſtoditis.* 2 *Tantalus qui deorum arcana vulgavit.* 3 *O avare, idem poſſe quod Tantalus.* 4 *Horatii de ſe parvo contenti verba.* 5 *Pro quovis laborioſo. Synecd.*

CAP.

CAP. IX.

Mors grata miſeris.

NON mihi mors gravis eſt, poſituro morte dolores;
Mors cita ſoliciti meta laboris erit.
Morte [b] mori meliùs, quàm vitam ducere mortis;
Et ſenſus membris ſic ſepelire ſuis.
Felicem [c] Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quæ poſuit ſenſum, ſaxea facta, mali.
Vivimus, ut ſenſu nunquam careamus amaro,
Et gravior longâ fit mea pœna morâ.
Sic inconſumptum 1 Tytyi, ſemperque renaſcens,
Non perit, ut poſſit ſæpe perire, jecur.
Me puta velle mori, & moriendo perdere ſenſus,
Gaudeo [d] finitis tot mihi morte malis.
O [e] duram 2 Lachefin! quæ tam grave ſydus habenti
Fila dedit vitæ non breviora meæ.
Non [f] letum timeo, genus eſt miſerabile leti:
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Dii, [g] quos 3 experior nimiùm conſtanter iniquos,
(Ah præcepiſſet mors properata fugam!)
Exſtimulate precor ceſſantia fata; meique
Interitûs clauſas eſſe vetate fores.
Lux [h] mea 4 tecum abiit; tenebris exanguis obortis
Succiduo dicor procubuiſſe genu.
Vix ſocer Iphiclus, vix me grandævus Acaſtus,
Vix mater gelidâ mœſta refecit aquâ.
Officium fecêre pium, ſed inutile nobis;
Indignor miſeræ non licuiſſe mori.

Una [i] tamen ſpes eſt, quæ me ſoletur in iſtis,
Hæc fore morte meâ non diuturna mala.

[k] Quàm nocet eſſe Deum? præcluſaque janua lethi
Æternum noſtros luctus extendit in ævum:
Nec finire licet tantos mihi morte dolores.

Authorum Luca.] [a] Ov. Met. *L.* 3. *v.* 471. [b] Corn. Gal. *El.* 1. *v.* 265. [c] Ov. *de* Pont. *Lib.* 1. *El.* 2. *v.* 21. *& infra.* [d] Ov. Triſt. *Lib.* 3. *El.* 3. *ver.* 56. [e] Ov. Triſt. *L* 5. *El.* 11. *v.* 45. [f] Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 51. [g] Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 2. *v.* 27. [h] Ov. Ep. Laod. Proteſ. *v.* 23. [i] Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 49. [k] Ov. Met. *L.* 1. *v.* 662.

Notæ.] 1 *Cujus jecur aſſidue conſumitur, & renaſcitur.* 2 *Una è tribus parcis, quæ vitæ humanæ filum nent & ſecant.* 3 *Verba Ovidii de ſe in exilium miſſo.* 4 *Verba Laodamiæ de viri Proteſilai diſceſſu querentis.*

CAP. X.

Sua cuique eſt patria dulcis.

[a] NEſcio quâ natale ſolum dulcedine captos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Româ? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit.
Cum bene ſint clauſæ caveâ 1 Pandione natæ,
Nititur in ſylvas quæque redire ſuas.
Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta Leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Sic [b] omnes patriæ dulci tanguntur amore,
Quâ miſerè amiſsâ gaudia nulla placent.
En [c] fugiunt ut bruta novos animalia campos,
Et repetunt celeres paſcua nota greges.

Sub

Sub quâ decubuit requieſcens, diligit umbram
  Taurus, & amiſſum quærit ovile pecus.
Dulcius in ſolitis cantat 1 Philomela rubetis,
  Eſtque ſuum rapidis dulce cubile feris.
Non [d] dubia eſt 2 Ithaci prudentia; ſed tamen optat
  Fumum de patriis poſſe videre focis.

[e] Dulcis amor patriæ 3 ratione potentior omni.
[f] Eſt aliquid patriis vicinum finibus eſſe.

Autborum Loca. [a] Ov. *de* Pon. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 33. [b] Ov. Faſt. *L.* 5. *v.* 653. [c] Corn. Gal. *E.* 2. *v.* 43. [d] Ov. *de* Pon. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 33. [e] Ov. *de* Pon. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 29. [f] Ov. *de* Pon. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 65.

Notæ. 1 *Luſciniæ. Philomela enim, Pandionis Regis Athenienſium nata, in avem ſui nominis mutata eſt.* 2 *Ulyſſis, ab Ithacâ patriâ, à quâ diù abfuit.* 3 *Reſpectu quocumque alio.*

CAP. XI.

Nulla potentia longa eſt.

[a] OMnia ſunt hominum tenui pendentia à filo,
  Et ſubitò caſu, quæ valuere, ruunt.
Nam [b] dat opes cuicunque libet fortuna, rapitque,
  Irus & eſt ſubitò, qui modò Crœſus erat.
Divitis audita eſt cui non opulentia Crœſi?
  Nempe tamen vitam captus ab 2 hoſte tulit.
Ille 3 Syracuſiâ modò formidatus in urbe,
  Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat 4 Magno majus? tamen ipſe rogavit
  Submiſsâ fugiens voce clientis opem.
Ille 5 Jugurthino clarus Cimbroque tumultu,
  Quo victrix toties conſule Roma fuit;

In cœno latuit Marius, cannâque paluſtri,
  Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
  Et certam præſens vix habet hora fidem.
Qui modò ſublimes rerum tractabat habenas
  Patricius, 6 rurſum verbera nota timet;
Culmine dejectum vitæ fortuna priori
  Reddidit, inſano jam ſatiata joco.

[d] Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimiùm ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam Divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.——

Authorum Loca.] [a] Ov. *de* Pon. *L.* 4. *El.* 3. *v.* 35. [b] Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 43. [c] Claud. *in* Eutrop. Præf. *L.* 2. *v.* 1. & 3. [d] Sen. Thyeſ. *v.* 611.

Notæ.] 1 *Tenui ratinaculo.* 2 *A Cyro victus.* 3 *Dionyſius Siciliæ Tyrannus, in quâ urbe Syracuſæ.* 4 *Pompeio, qui à Cæſare victus, Ptolemæi Ægypti regis & clientis ſui opem petiit.* 5 *Marius ſepties Romæ Conſul, qui de Jugurthâ rege & Cimbris triumphavit.* 6 *Eutropius à ſervo Senator factus, & inde rurſum ſervus.*

CAP.

CAP. XII.

Vera amicitia adverſis probatur.

[a] Cùm Deus intonuit, non ſe ſubducere nimbo,
Id demum pietas, id ſocialis amor.
Scilicet [b] ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Proſpera ſi navis vento ferretur amico,
Ignoraretur forſitan 1 iſta fides.
Theſea Pirithous non tam ſenſiſſet amicum,
Si non infernas vivus adîſſet aquas.
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt 2 Furiæ, triſtis Oreſte, tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidiſſet in hoſtes,
Hyrtacidæ Niſo gloria nulla foret.
Dum juvat, & vultu ridet fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.
At ſimul intonuit, fugiunt, neque noſcitur ulli,
Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

[c] Magnum utique, in magnis rebus, populiſq; virisque
Adverſis ſervare fidem ——
Dum trepidæ res, & medicinam vulnera poſcant.
Is locus officio; cùm ceſſant proſpera, cúmque
Dura ad opem fortuna vocat; nam læta fovere
Haudquaquam magni eſt animi decus. ——

[d] Poſcant fidem ſecundâ, at adverſa exigunt.

Authorum Loca.] [a] Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 15. *v.* 27. [b] Ov. Triſt *L.* 1. *El.* 4. *v.* 25. [c] Sil. Ital. *L.* 11. *v.* 163. [d] Sen. Agam. *v.* 928.

Notæ.] 1 *Iſta tùa vera amicitia.*
2 *Furor tuus ob matrem necatam.*

CAP. XIII.

Magnanimi faciles ad ignoſcendum.

QUO quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni;
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.
Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?
Dardanii 1 lacrymas non tulit ille ſenis.
Quæ 2 ducis Æmathii fuerat clementia, 3 Porus,
Præclarique docent funeris exequiæ.

Crede mihi, pulchrum vitam donare minori;
Manibus [b] Hectoreis atrox ignovit Achilles.
Reddidit Alcidès Priamo, quas ceperat, arces.
Pellæum 2 juvenem Regum flexêre ruinæ.
Darium 4 famulis manibus doluiſſe peremptum
Fertur; & ingenti ſolatus fata ſepulchro;
Tradita captivo ſpatioſior India 3 Poro.
Conditor hic patriæ; ſic hoſtibus ille pepercit.
——[c] Nempe minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguique, voluptas,
Ultio; continuò ſic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.——

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 5. *v.* 31. b Claud. Ep. *ad* Hadrian. *v.* 13. c Juven. *Sat.* 13. *v.* 189.

Notæ.] 1 *Priami Hectoris filii cadaver rogantis.* 2 *Alexandri magni.* 3 *Porus Indiæ rex ab Alexandro victus, & regno donatus.* 4 *Perſiæ regem ab Alexandro victum, à ſuis occiſum.*

CAP.

CAP. XIV.

Mors certa, tempus incertum.

[a] OMnibus eſt eadem leti via, non tamen unus
Eſt vitæ cunctis exitiique modus.
Hâc pueri, atque ſenes pariter, juveneſque ferentur,
Hâc par divitibus pauper egenus erit.
At [b] vos incertam mortales funeris horam
Quæritis, & quâ ſit mors aditura viâ.
Fata [c] manent omnes; omnes expectat avarus
Portitor 1, & turbæ vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
Quàm [d] rigidum jus eſt, & inevitabile fati!
Stant rata non ullâ 2 fila movenda manu.
Sed [e] tamen huc omnes, huc primus, & ultimus ordo;
Eſt mala ſed cunctis iſta terenda via.
Quis [f] furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Quod [g] quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. Navita 3 Boſphorum
Pœnus 4 perhorreſcit; neque ultrà
Cæca timet aliunde fata.

Miles ſagittas, & celerem fugam
Parthi 5; catenas Parthus, & 6 Italûm
Robur; ſed improviſa lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.

Autborum Loca] a Cor. Gal. *El.* 6. *v.* 5. b Prop. *Lib.* 2. *El.* 20. *v.* 59. c *El. ad* Liviam *de morte* Druſi, *v.* 357. d *Eadem El. v.* 443. e Prop. *Lib.* 3. *Eleg.* 16. *v.* 21. f Tibull. *Lib.* 1. *El.* 1. *v.* 33. g Horat. *Lib.* 2. *Od.* 13. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Charon, qui umbras trans Styga vehit.* 2 *Humanæ vitæ fila, quæ Parcæ nent, & ſecant.* 3 *Ponti fretum pro quolibet mari. Synecd.* 4 *Nauta Carthaginienſis, pro quolibet nauta. Synecd.* 5 *Parthi enim fugientes pugnabant.* 6 *Romanorum potentiam.*

CAP. XV.

Mòri præſtat, quàm gloriæ ſupereſſe.

HEu! quantum diſtant à morte ſilentia vitæ?
Ipſe mori mallem quàm ſepelire decus.
Dura [b] ſenecta fuit 1 Manlî, qui 2 Gallica quondam
A 3 Capitolino reppulit arma Jove.
Quàm bene (Dii magni!) pugnâ cecidiſſet in illâ,
Defenſor ſolii, Jupiter alte, tui.
Vixit, ut occideret damnatus 4 crimine regni.
Hunc illi tâulum longa ſenecta dedit.
Nonne [c] fuit melius me tali tempore fungi,
Quo nulli meritò dèſpiciendus eram;
Quàm, poſtquam periit quidquid fuit ante decoris,
Extinctum meritis vivere criminibus?
Tunc [d] quæ diſpenſant mortalia fila 5 ſorores,
Debuerant fuſos evoluiſſe meos,
Cùm potui Medea mori bene; quicquid ab illo
Produxi vitæ tempore, pœna fuit.

[e] Exi-

[e] Exilium, & carcer, 6 Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis,
Hinc 7 causas habuêre. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam;
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ, animam exhalâsset 8 opimam,
Cùm de 9 Teutonico vellet descendere curru?

Authorum Loca.] a Sil. Ital. *Lib.* 3. *v.* 145. b Ov. Fast. *Lib.* 6. *v.* 185. c Cor. Gall. *Eleg.* 2. *v.* 19. d Ovid. Epist. Med. *ad* Jason. *v.* 5. e Juven. *Sat.* 10. *v.* 276.

Notæ.] 1 *Manlii Torquati, qui repulit* 2 *Gallorum copias, à* 3. *Capitolio, Jovis templo.* 4 *Accusatione regni affectati.* 5 *Parcæ.* 6 *Quibus Marius latuit, militibus Syllæ insequentibus.* 7 *Ex longâ senectâ.* 8 *Victricem.* 9 *Curru, quo de Teutonibus triumphans vehebatur.*

CAP. XVI.

Misericordia regibus ornamento.

[a] Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox;
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.
Qui vincit semper, victis ut parcere possit;
Claudit & æternâ civica bella 1 serâ.
Multa metu pœnæ, pœnâ qui pauca coercet,
Et jacit invitâ 2 fulmina rara manu.
Aspice [b] magnanimi mitissima Cæsaris arma,
Qua vicit, victos protegit ille manu.
Hectora [c] 3 donavit Priamo prece motus Achilles:
Flectitur iratus voce rogante Deus.
Est [d] placidus, facilisque 4 Parens, veniæque paratus;
Et qui fulmineo sæpe 5 sine igne tonat.

Qui cùm triſte aliquid ſtatuit, ſit triſtis & ipſe;
Cuique ferè, pœnam ſumere, pœna ſua eſt.
Qui [e] quàm 6 Marte ferox, & vinci neſcius armis,
Tam nunquam, factâ pace, cruoris amans:
Scilicet [f] ejuſdem eſt (quamvis pugnare videtur)
Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem.

Autorum Loca.] a Ov. *de* Pon. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 123. b Ov. Amor. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 51. c Ov. *de* Ar. Am. *L.* 1. *v.* 443. d Ov. *de* Pon. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 117. e Ovid. *de* Pon. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 45. f Id. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 31.

Notæ.] 1 *Æternæ Pace. Metaph.* 2 *Totam ulciſcendi vim. Metaph.* 3 *Hectoris cadaver.* 4 *Rex bonus, qui patriæ pater.* 5 *Pœnam intentat, non infligit.* 6 *Bello. Metonym.*

CAP. XVII.

Minuuntur carmine curæ.

DEtineo ſtudiis animum, falloque labores,
Experior curis & dare verba meis.
Sic animum tempuſque traho; meque ipſe reduco,
A contemplatu ſubmoveoque mali:
Carminibus quæro miſerarum oblivia rerum,
Mens [b] intenta ſuis ne foret uſque malis.
Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cùm grave mollit opus.
Cantet & innitens limoſæ pronus arenæ,
Adverſo tardam qui trahit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos;
In numerum pulsâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxoque reſedit
Paſtor; arundineo carmine mulcet oves.

Can-

Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis,
Fallitur ancillæ decipiturque labor.
Fertur & 1 abductâ 2 Lyrneſſide triſtis Achilles,
Hæmoniâ 3 curas attenuaſſe lyrâ.
Cùm traheret ſylvas Orpheus, & dura canendo
Saxa, bis amiſsâ 4 conjuge mœſtus erat.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 7. *v.* 39. *& infra.* b Id. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 4.

Notæ.] 1 *Ab Agamemnone erepta.* 2 *Hippodamiâ amicâ; ita dicta à Lyrneſſo patriâ.* 3 *Theſſalica, ab Æmone rege Theſſaliæ.* 4 *Bis perdita uxore Eurydice; primò morſu ſerpentis, deinde cùm ab inferis redeunti erepta eſſet.*

CAP. XVIII.

Uſus promptos facit.

(vetuſtas

[a]QUod malè fers, aſſueſce; feres benè: multa
Lenit, at incipiens omnia dura putat.
[b]Scilicet eſt artis ſtrictiſſima 1 janua cunctis,
Et labor eſt unus tempora prima pati.
Aſpicis, ut prenſos urant juga prima juvencos?
Et nova velocem cingula lædat equum?
Tempore [c]difficiles veniunt ad aratra juvenci,
Tempore lenta pati frena docentur equi.
Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu,
Interit aſſiduâ vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius undâ?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.

Penelopen ipſam (perſtes modò) tempore vinces;
  Capta vides ſerò Pergama; capta tamen.
Tempore [d] ruricolæ patiens ſit taurus aratri,
  Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
  Et placido duros accipit ore 2 lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum,
  Nec ferîtas animo, quæ fuit antè, manet.
Quæque ſui monitis obtemperat Inda magiſtri
  Bellua; 3 ſervitium tempore victa ſubit.
Sed [e] neque vector equum, qui nuper ſenſit habenas,
  Comparibus frænis, 4 artificemque reget.
Ferre [f] novæ nares taurorum terga recuſant,
  Aſſiduo domitas tempore fallit odor.

[g] Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam; ſpeculataque longè
Deprendit tacitis 5 dominantia legibus aſtra.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 647. b Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 233. c Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 473. d Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 1. e Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 555. f Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 655. g Manil. *L.* 1. *v.* 61.

Notæ.] 1 *Ingreſſus ſeu principium.* 2 *Lupata dura fræna.* 3 *Elephas.* 4 *Equum longo uſu aſſueſactum.* 5 *Quæ res inferiores ratione nobis ignota regunt.*

CAP.

CAP. XIX.

Mater artium necessitas.

[a] INgenium mala sæpe movent; quis crederet Aërias hominem carpere posse vias? [unquam
Dædalus at medio pendebat in aëre pennis.
O [b] quantum est subitis casibus ingenium!

—— [c] Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda.
Ut varias usus meditando [2] extunderet artes
Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc almos primùm fluvii sensêre [3] cavatas:
Navita tum stellis numeros, & nomina fecit.
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inventum, & magnos canibus circumdare saltus.
Tum variæ venêre artes: labor omnia vincit
Improbus, [4] & duris [5] urgens in rebus egestas.
Provocet [d] ut segnes animos, rerumque remotas
Ingenioſa vias paulatim exploret egestas?
Utque artes pariat sollertia, nutriat usus?
Sed [e] cùm longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit; & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo;
Et quæcunque sagax tentando repperit usus,
In commune bonum commentum læta dedere,

Om-

Omnia conando docilis ſolertia vincit.
———[f] Grande doloris
Ingenium eſt, miſeriſque venit ſolertia rebus.

[g] Quis 6 expedivit pſittaco 7 ſuum 8 χαῖρε?
Picaſque docuit verba noſtra 9 conari?
Magiſter artis, ingenîque largitor,
Venter 10, negatas 11 artifex 12 ſequi voces.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 43. b Martial. *Lib. de* Spectac. *Ep.* 14. c Virg. Georg. *Lib.* 1. *v.* 121. *& infra.* d Claud. *de* rap. Proſerp. *Lib.* 3. *v.* 30. e Manil. *L.* 1. *ver.* 79. f Ov. Metam. *L.* 6. *v.* 574. g Perſii Prolog. *v.* 8.

Notæ.] 1 *Juppiter mortales veterno torpentes, ad agriculturam, & artes per egeſtatem excitans.* 2 *Excogitaret.* 3 *Ad navigia facienda.* 4 *Modum neſciens continuus, ſeu importunus.* 5 *Ingenium excitans. Metaph.* 6 *Expeditè pronuntiare docuit.* 7 *Ita perfectè ac ſi eſſet ſuum, ſibi naturale.* 8 *Salve, vel avete ſalutandi formula.* 9 *Magno conatu imitari.* 10 *Eſuriens.* 11 *Sibi à naturâ non conceſſas.* 12 *Qui docet ſequi, & imitari, tanquam magiſter.*

CAP. XX.

Otio corpus animuſque recreatur.

[a] Contèritur ferrum, ſilices tenuantur abuſu,
Sic & continuâ meſſe ſeneſcit ager.
Quod [b] caret alternâ requie, durabile non eſt;
Hæc reparat vires, feſſaque membra novat.
Arcus 1 & arma Deæ tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.
Otia [c] corpus alunt, animus quoque paſcitur illis;
Immodicus contrà carpit utrumque labor.

[c] Cernis

Cernis [d] ut in duris (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus!
Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis laſſa, ſeneſcit humus.
Occidet, ad 2 Circi ſi quis certamina ſemper,
Non intermiſſis curſibus ibit, equus.
Firma ſit illa licet, ſolvetur in æquore navis,
Quæ nunquam liquidis ſicca carebit aquis.
Da [e] requiem, requietus ager bene 3 crecita reddit;
Intermiſſa minus ſarcina pondus habet.

[f] Interpone tuis interdum gaudia curis;
Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.
Axe 4 ſub [g] Heſperio ſunt paſcua Solis equorum;
Ambroſiam 5 pro gramine habent; ea feſſa diurnis
Membra 6 miniſteriis nutrit, reparatque labori;
Atque ibi quadrupedes cœleſtia gramina carpunt.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 91. b Ov. Ep. *ad* Hippol. *v.* 80. c Ov. *de* Pont. *L.* 1. *El.* 2. 21. d Ov. Ar. Am. *Lib.* 1. *El.* 4. *v.* 11. e Ov. Ar. Am. *Lib.* 2. *v.* 351. f Cat. *Diſt.* 5. g Ov. Metam. *L.* 4. *v.* 214.

Notæ.] 1 *Publii Mim. arcum intentio frangit, animum remiſſio.* 2 *Circus erat Romæ in quo populus ſpectabat equeſtria certamina.* 3 *Credita terræ, id eſt, ſata.* 4 *Cœlo Occidentali.* 5 *Deorum cibum.* 6 *Equorum etſi immortalium.*

CAP. XXI.

Avaritia inſatiabilis.

[a] GReſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia
Nec finem voto ponis, avare, tuo. [creſcit,

Sed

Sed [b] creſcunt & opes, & opum furioſa cupido,
Et, cùm poſſideant plurima, plura volunt.
Sic 1 quibus intumuit ſuffuſâ venter ab undâ,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant;
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.

[c] Utque freum recipit de totâ flumina terrâ,
Nec ſatiatur aquis; peregrinoſque ebibit amnes;
Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat;
Innumeraſque trabes cremat; & quo copia major
Eſt data, plura petit; 2 turbâque voracior ipſa eſt:
Sic quod ſat fuerit populo, non ſufficit uni;
Pluſque cupit, quo plura ſuam demittit in arcam.
Non [d] Tarteſſiacis 3 cupidum ſatiârit arenis
Tempeſtas pretioſa 4 Tagi; non ſtagna rubentis
Aurea 5 Pactoli; totumque exhauſerit Hermum,
Ardebit majore ſiti.——

[e] Sed quò divitias hæc per tormenta coactas,
Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis,
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato?
Intereà pleno cùm turget ſacculus ore;
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit;
Et minus hanc optat, qui non habet; ergò paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit unum.
Ac [f] velut innumeros amnes accedere 6 Nereus
Neſcit 7, & undantem quamvis hinc hauriat 8 Iſtrum,
Hinc bibat æſtivum ſepteno gurgite 8 Nilum,
Par ſemper, ſimiliſque manet; ſic fluctibus auri

Expleri.

Expleri 9 calor ille nequit; utrumque licebit
Oceanum teneas; laxet tibi Lydia 10 fontes;
Jungantur ſolium 11 Croeſi, Cyrique tiara;
Nunquam dives eris, nunquam ſatiabere quæſtu:
Semper inops, quicunque cupit. ———

[g] Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Scilicet improbæ
Creſcunt Divitiæ, tamen
Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

[h] Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops;
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis; & aquoſus albo
Corpore languor.

Authorum Loca.] a Juven. *Sat.* 14. *ver.* 139. b Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 211. c Ov. Met. *Lib.* 8. *v.* 835. d Claud. *in* Ruf. *Lib.* 1. *v.* 101. e Juv. *Sat.* 14. *v.* 136. f Claud. *in* Rufin. *L.* 1. *v.* 184. & *ver.* 196. g Horat. *L.* 3. *Od.* 16. 24. h Horat. *Lib.* 2. *Od.* 2.

Notæ.] 1 *Hydrope laborantibus.* 2 *Copiâ.* 3 *Tarteſſus, urbs Hiſpaniæ Bæticæ.* 4 *Fluvii Hiſpaniæ arenis aureis celebris.* 5 *Flumina Aſiæ minoris aurifera.* 6 *Mare.* 7 *Non ſentit.* 8 *Fluvios maximos.* 9 *Avaritia. Metaph.* 10 *Hermum & Pactolum.* 11 *Regum potentiſſimorum.*

CAP. XXII.

Juvat inconceſſa voluptas.

[a] CUI peccare licet, peccat minùs: ipſa poteſtas
Semina 1 nequitiæ languidiora facit.

Deſine

Deſine (crede mihi) vitia irritare vetando:
Obſequio vincas aptiùs illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra ſua vinc'la tenacem
Ore reluctanti fulminis ire modo;
Conſtitit, ut primùm conceſſas ſenſit habenas,
Frænaque in effusâ laxa jacere jubâ.
Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata,
Sic interdictis 2 imminet æger aquis.
Quicquid ſervatur, cupimus magis; ipſaque furem
Cura 3 vocat; pauci, quod ſinit alter, amant.
Quod [b] licet, ingratum eſt; quod non licet, acrius
Ferreus 5 eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat. [4 urit:
Cuilibet eveniat, nocet indulgentia nobis.
Quod ſequitur, fugio; quod fugit, uſque ſequor.
Quod licet, & facile eſt, quiſquis cupit; arbore
Carpat, & è medio flumine potet aquam. [frondes
Multis [c] peccandi ſtudium permiſſa poteſtas
Abſtulit, atque ipſum talia 6 velle fugit.
Permiſſum fit vile nefas, & languidus ardor.
Vicerunt morbum languida corda ſuum.

Quod refugit, multi cupiunt; odere, quod 7 inſtat.
Acrior [d] admonitu eſt, irritaturque retenta
Et creſcit rabies; 8 moderaminaque ipſa nocebunt.
Sic ego torrentem, quâ nil obſtabat eunti,
Leniùs, & modico ſtrepitu decurrere vidi;
At quâcunque trabes, obſtructaque ſaxa jacebant,
Spumeus, & fervens, & ab objice ſævior ibat.

Audax [e] omnia perpeti
Gens humana, ruit per vetitum nefas.

[f] Illicita

[f] Illicita amantur, excidit quidquid licet.

Authorum Loca.] a Ov. Amor. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 9. & *infra.* b Id. *L.* 2. *El.* 19. *v.* 3. & *infra.* c Cor. Gal. *El.* 3. *v.* 91. & *supra.* d Ov. Met. *L.* 3. *v.* 566. e Hor. *L.* 1. *Od.* 3. f Sen. Herc. Oetæus, *v.* 357.

Notæ.] 1 *Principia. Metaph.* 2 *Vehementer appetit.* 3 *Invitat & allicit.* 4 *Placet.* 5 *Ferreo & duro corde.* 6 *Voluntas. Græcism.* 7 *Quod obvium est & parabile.* 8 *Ipsa moderantium consilia.*

CAP. XXIII.

Alta fuge, alta cadunt.

[a] Vive sine invidiâ, mollesque inglorius annos
Exige; vive tibi, & nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita;
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Effugit Hybernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Aspicis, ut summâ cortex levis innatet undâ,
Cùm grave nexa simul retia mergat onus.
Qui cadit in plano, (vix hoc tamen evenit ipsum)
Sic cadit, ut tactâ surgere possit humo.
At miser 1 Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurrit 2 regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quòd 3 hic altè, demissiùs 4 ille volabat;
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi, bene qui 5 latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret 6 Eumedes orbus, si 7 filius ejus
Stultus Achilleos non adamâsset equos.
Nec natum in flammâ vidisset, in arbore 8 natas,
Cepisset 9 genitor si Phaëtonta Merops.

Tu

Tu quoque formida nimiùm sublimia semper,
Propositique memor contrahe vela tui.

——— [b] Qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes; numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ 10 præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit; & 11 illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra 12 Quirites?
Summus nempe locus, nullâ non arte petitus.
Ut [c] lapsu graviore ruant; tolluntur in altum.

[d] Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus; & celsæ graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.
[e] Sidunt ipso pondere magna,
Ceditque oneri fortuna suo.
Nubibus ipsis 13 inserta caput
Turris, pluvio vapulat Austro.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis majora patent.
Quicquid in altum fortuna tulit
Ruitura levat.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 4. *& infra.* b Juv. *Sat.* 10. *v.* 104. c Claud. *in* Rufin. *L.* 1. *v.* 22. d Hor. *L.* 2. *Od.* 10. e Sen. Agamem. *v.* 88. *& passim infra.*

Notæ.] 1 *Elpenor ebrius à scalis lapsus periit.* 2 *Ulysses apud inferos.* 3 *Icarus.* 4 *Dædalus.* 5 *Nec vixit male qui natus morienſque fefellit.* Hor. 6 *Dolne filio occidum Achillis equos sibi speculationis præmium peteret.* 7 *Dolon* 8 *Filias in populos mutatas.* 9 *Merops Phaëtontem non cepit, qui solis filius volebat credi* 10 *Sublime præcipitium.* 11 *Julium Cæsarem.* 12 *Populum Romanum.* 13 *Alta, habent capiti insertum nubibus.*

CAP

CAP. XXIV.

Vatis post funera gloria major.

Quod vivo vati detraxerit invida turba,
Post obitum duplici 1 fœnore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Ille gravis Trojæ casûs memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes;
Illum post cineres auguror esse diem.
Scripta [b] placent è morte ferè; quia lædere vivos
Livor, & injusto carpere dente solet.
Pascitur [c] in vivis Livor; post fata quiescit:
Tum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo, etiam cùm me supremus adederit ignis,
Vivam; parsque mei magna superstes erit.
Esse [d] quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Livide, mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis.
Ennius 2 est lectus, 3 salvo tibi, Roma, Marone:
Et sua riserunt sæcula 4 Mæoniden.
Rara coronato plausere theatra 5 Menandro:
Nôrat Nasonem sola 6 Corinna suum.

[e] Carmina plebs, nisi quæ terris 7 semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit & odit.
Sic fautor veterum, ut 8 tabulas peccare vetantes,

Ponti-

Pontificum libros, annoſa volumina vatum,
Dictitet Albano Muſas in monte locutas;
Ceu meliora dies, ut vina, Poemata reddat.
[f] Jam 9 Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri:
Ingeniis non ille favet, plauditque ſepultis;
Noſtra ſed impugnat, nos noſtraque lividus odit.

[g] Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 21. *& infra.* b Ov. *de* Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 73. c Ov. Am. *L.* 1. *El.* 15. *v.* 39. d Mart. *Lib.* 5. *Ep.* 10. e Horat. *L.* 2. *Ep.* 1. *v.* 21. f Id. *v.* 86. g Id. *L.* 3. *Od.* 24. *v.* 51.

Notæ.] 1 *Majore famâ.* 2 *Latinorum poetarum primus Ennius, ingenio maximus, arte rudis.* 3 *Dum ipſe Virgilius in vivis erat.* 4 *Homerum.* 5 *Comœdiarum ſcriptore ingenioſiſſimo.* 6 *Ovidii ſub ficto nomine Amica.* 7 *Defunctorum poetarum carmina.* 8 *Reges Romæ veteres.* 9 *Vetus carmen Saliorum Martis Sacerdotum à Numâ inſtitutorum.*

CAP. XXV.

—— *Opes irritamenta malorum.*

[a] IMproba ſolicitæ tu cauſa, pecunia, vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Admonui [b] quoties? auro ne pollue mentem,
Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala.

[c] Ardua

Ardua [c] nam res eſt, opibus non tradere mores,
Et cùm tot 1 Crœſos viceris, eſſe 2 Numam.
Sed [d] rude divitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit, quantis ſit caput inde malis.
Divitiæ fera bella viris lethumque tulerunt,
Nam priùs æternâ pace vigebat humus.
Divitiis natoque pater, natuſque parente
Cæditur, & charo fratre verenda ſoror.

[e] Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi 3 fregerunt ſæcula luxu
Divitiæ molles, irritamenta malorum.
Aurum [f] avidas mentes, & barbara corda rapinis
Polluit; atque armat contemptu pectora Divûm.
——— [g] Quid non mortalia pectora cogis,
Auri 4 ſacra fames? ———

——— [h] In mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi 5 materiam mali,
Mittamus: ſcelerum ſi bene pœnitet,
Eradenda 6 Cupidinis
Pravi ſunt elementa. ———

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 1. b Tib. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 17. c Mart. *Lib.* 11. *Ep.* 6. d Sanazar. *Lib. Eleg.* 10. *v.* 11. e Juv. Sat. 6. *v.* 297. f Sil. Ital. *L.* 13. *v.* 90. g Virg. Æn. *L.* 3. *v.* 56. h Hor. *L.* 3. *Od.* 24. *v.* 47.

Notæ.] 1 *Divites, qualis erat Cræſus rex Lydiæ ditiſſimus.* 2 *Religioſum, qualis erat Numa pius Romanorum rex.* 3 *Corruperunt.* 4 *Execrabilis.* 5 *Fomitem. Metaph.* 6 *Extirpanda ſunt avaritiæ primordia. Allegor.*

CAP.

CAP. XXVI.

Floreſcunt omnia Vere.

[a] DIC age frigoribus quare novus incipit annus,
Qui meliùs per ver incipiendus erat?
Omnia tum florent, tunc eſt nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbos;
Prodit & in ſummum feminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ ſub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager, & renovatur aratro;
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.
Quid? [b] quod hyems adoperta gelu, tum denique [cedit,
Et pereunt victæ ſole tepente nives.
Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes,
Vividaque è tenero palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc, qua ſe tollat in auras
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fœcundus ager; pecoris nunc hora 1 creandi;
Nunc avis in ramo tecta 2 laremque parat.
Nec [c] Veneri tempus, quam ver, erit aptius ullum:
Vere nitent terræ; vere 3 remiſſus ager.
Nunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt;
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

[a] Diffu-

[a] Diffugêre nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribuſque 4 comæ.
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina 5 prætereunt.

[c] Solvitur acris hyems gratâ vice veris & 6 Favoni;
7 Trahuntque ſiccas machinæ carinas;
At neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni:
Nec prata canis albicant pruinis.
Nunc decet, aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 149. b Id. *L.* 3. *v.* 235. c Id. *L.* 4. *v.* 125. d Hor. *L.* 4. *Od.* 7. e Id. *L.* 1. *Od.* 4.
Notæ.] 1 *Tempus generandi.* 2 *Nidum.* 3 *Apertiùs & ſolutus frigore.* 4 *Frondes.* 5 *Præter, id eſt intra ripas fluunt.* 6 *Venti Zephyri.* 7 *E navalibus in mare ducunt.*

CAP. XXVII.

Eſt quædam Virtutum Vitiorumque confinitas.

[a] QUàm mala ſunt vicina bonis; errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.
Turgida, ſi plena eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur:
In gracili macies crimen habere poteſt.
Et poterit dici petulans, quæ ruſtica non eſt:
Et poterit dici ruſtica, ſi qua proba eſt:
At ſi quem contra ſpecies delectat honeſti;
Prætendat culpæ ſplendida verba ſuæ.

[b] Nominibus mollire licet mala; fuſca vocetur,
Nigrior Illyricâ cui pice ſanguis erit.
Si pæta, eſt Veneri ſimilis; ſi flava, Minervæ;
Sit gracilis, macie quæ malè viva ſuâ eſt.
Dic habilem, quæcumque brevis; quæ turgida, plenam;
Et lateat vitium proximitate boni.

[c] Vellem in amicitiâ ſic erraremus, & iſti
Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum.
At, pater ut gnati, ſic nos dedemus, amici,
Si quod ſit vitium; non faſtidíre: 4 ſtrabonem
Appellat pætum pater; & 1 pullum, male parvus
Si cui filius eſt; ut 2 abortivus fuit olim
3 Siſyphus: hunc 4 varum diſtortis cruribus, illum
Balbutit 4 ſcaurum, pravis fultum malè talis.
Parciùs hic vivit, frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paulo eſt; concinnus amicis
Poſtulat ut videatur: at eſt truculentior, atque
Plus æquo liber; ſimplex fortiſque habeatur.
Caldior eſt; acres inter numeretur, opinor.
At nos virtutes ipſas 5 invertimus, atque
Sincerum 6 cupimus vas incruſtare: probus quis
Nobiſcum vivit, multùm eſt demiſſus homo: Illi
Tardo cognomen pinguis damus: Hic fugit omnes
Inſidias, nullique malo latus 7 obdit apertum.
——— Pro bene ſano,
Ac non incauto, fictum aſtutumque vocamus.
——— [d] Quid pulchra vocabula pigris
Prætendas vitiis? probitatis inertia nomen,

Juſtitiæ

Juſtitiæ formido ſubit: [a] plerumque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus, acerbi.

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Am. *Lib.* 1. *v.* 323. b Ov. *de* Arm. *L.* 2. *v* 657. c Hor. *L.* 1. *Sat.* 3. *v.* 41. d Claud. *in* Eutrop. *L.* 2. *v.* 295. e Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *v.* 94.

Notæ.] 1 *Puſionem, puellum.* a *Imperfectus, non abſolutus.* 3 *Filius Antonii Triumviri exigua ſtatura, ſed ingenii acutiſſimi.* 4 *Romanorum cognomina, à corporum vitiis deducta.* 5 *Male interpretamur.* 6 *Iis ſimiles, qui tectorum inducerent impurum vaſi puro.* 7 *Nemini improbo expoſitum latus præbet.*

CAP. XXVIII.

Diverſis diverſa placent.

[a] SCinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
Mille [b] hominum ſpecies; & rerum diſcolor
Velle 1 ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno. [uſus:
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole 2 recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur, irriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic 3 campo indulget; hunc alea 4 decoquit; ille
In Venerem 5 putret. ———
Denique [c] non omnes eadem mirantur, amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur 6 Iambis;
Ille 7 Bionæis ſermonibus, & ſale nigro.
Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Paſcentes vario multùm diverſa palato. [alter:
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet
Quod petis, id ſanè eſt inviſum, acidumque duobus.

[a] Sunt quos 8 curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat, metaque fervidis

Evitata rotis: ———
Eſt, qui nec veteris pocula 9 Maſſici,
Nec partem ſolido 10 demere de die
Spernit: ———
Multos caſtra juvant; & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata 11: Manet ſub 12 Jove frigido
Venator; teneræ conjugis immemor.
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus:
Seu rupit teretes 13 Marſus aper plagas.

Authorum Loca.] a Virg. Æn. L. 2 v. 39. b Perſ. Sat. 5. v. 52. c Hor. L. 2. Ep. 2. v. 58. d Id. L. 1. Od. 1. v. 3. & *infra.*

Notæ.] 1 *Sua Voluntas.* 2 *Hic mutat merces ſurgenti à Sole.* 3 *Vacat luſibus in Campo Martio.* 4 *Inopem reddit.* 5 *Libidine corrumpitur.* 6 *Verſibus Iambis.* 7 *Satyricis; quibus Bion uſus eſt.* 8 *Curuli certamine ludis Olympiacis.* 9 *Vini optimi.* 10 *Ad genio indulgendum.* 11 *Ob filiorum necem.* 12 *Sub aëre.* 13 *Italiæ gens apris clara.*

CAP. XXIX.

Sine Baccho friget Venus.

[a]VIna parant animos, faciuntque caloribus aptos;
Cum [b] Veneris 1 puero non malè, Bacche, [facis.
Sæpe [c] ego tentavi vino depellere curas;
Sed Venus in vinis, ignis in igne fuit.
Qui [d] bibit, inde furit; procul hinc diſcedite, queîs eſt
Cura bonæ mentis; qui bibit, inde furit.
Ebrius [e] incinctis 3 philyrâ conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.
Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat; habent unctæ mollia ſerta comæ.

Nulla

Nulla coronatâ peraguntur ſeria fronte;
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ.
Dant [f] Veneri poſitis aditum convivia menſis;
Eſt aliquid, præter vina, quod inde petas.
Sæpe illic poſiti, teneris adducta lacertis
Purpureis Bacchi 4 cornua preſſit Amor.
Vinaque cum bibulas ſparſere Cupidinis alas;
Permanet, & capto ſtat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas,
Sed tamen aſpergi pectus amore nocet.
Sæpe [g] mero volui flammam compeſcere: at illa
Crevit, & ebrietas ignis in igne fuit.

Authorum Loca.] [a] Ov. *de* Ar. Am. *L.* 1. *v.* 237. [b] Id. *L.* 3. *v.* 762. [c] Tib. *L.* 1. *El.* 6. *v.* 1. [d] Ov. Faſt. *L.* 4. *v.* 365. [e] Id. *L.* 5. *v.* 337. [f] Ov. *de* Ar. Am. *L.* 1. *v.* 229. *& ſupra.* [g] Ov. Ep. Par. *ad* Hel. *v.* 229.

Notæ.] 1 *Cupidine.* 2 *Amore fuerit.* 3 *Coronis ex phillyra plexis.* 4 *Baccho tribuuntur cornua vel ab ebriorum truculentia: vel quod priſcis præbuerunt poculorum uſum.*

CAP. XXX.

Virtus optima nobilitas.

[a] ANtiquis quanquam regum bene fulta triumphis
Stat domus; & tantis ſe ſibi jactat avis:
Majorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priſcis geſtit imaginibus.
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Æternum & verâ laude parare decus.
Mens [b] tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum,
Grandius ingenio nec tibi nomen erit.

Adde [c] quòd eſt animus ſemper tibi mitis, & altæ
Indicium mores nobilitatis habent.

Nam [d] quanquam antiquæ gentis 1 ſuperent tibi
Non tua majorum contenta eſt gloria famâ; [laudes,
Nec quæris quid quâque 2 index ſub imagine dicat:
Sed generis priſcos contendis vincere honores,
Quàm tibi majores, majus decus ipſe futuris.
Hinc [e] tua nos virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos: quæ, ſi deeſſet tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuiſſet.
Nam quid imaginibus, quid 3 avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo conſule 4 faſti
Profuerint; ſi vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus eſt in origine ſolâ.
Uſque [f] adeò virtute decet, non ſanguine 5 niti.

Auctorum Loca.] a Sannaz. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 25. b Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 103. c Id. *L.* 3 *El.* 2. *v.* 103. d Tib. Paneg. *v.* 28. e Luc. Paneg. *ad* Piſon. *v.* 5. f Claud. *de* 4. Conſ. Honor. *v.* 320.

Notæ.] 1 *Satis ſuperque tibi erunt.* 2 *Titulus clarorum geſtorum.* 3 *Avorum, & majorum triumphis.* 4 *Libri quibus Conſulum nomina ſolebant inſcribi.* 5 *Se ad honores attollere.*

CAP. XXXI.

Amor non celandus.

[a] QUà licet, & poſſum, luctor celare furorem,
Sed tamen apparet diſſimulatus amor.
Hunc [b] malè diſſimulo, quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?
Certè [c] difficile eſt abſcondere pectoris æſtus,
Panditur & clauſo ſæpius ore furor.

Nam

Nam ſubitò inficiens vultum pallorque, ruborque,
Interdum certæ vocis habebat opus.
Nec minùs ipſa meas prodebant ſomnia curas,
Somnia ſecreti non bene fida mei.
Nam quum ſopitos premerent oblivia ſenſus,
Confeſſa eſt facinus conſcia lingua ſuum.
Mœſta [d] neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu,
Nec triſti ceſſant imbre madere genæ.
Mille [e] modis pateat; quis enim bene celet amorem?
Eminet indicio prodita flamma ſuo.
Heu quot, 1 Phædra, dabas concepti ſigni furoris?
Non [f] potuit penitus flamma recepta tegi.

[g] 2 Torretur 3 æſtu tacito, & incluſus quoque
Quamvis tegatur, proditur vultu furor;
Erumpit oculis ignis, & lapſæ genæ
Lucem recuſant; nil idem dubiæ placet,
Artuſque variè jactat incertus dolor.

Authorum Loca.] a Ov. Ep. Par. *ad* Hel. *v.* 235. b Id. *v.* 7. c Corn. Gall. *El.* 4. *v.* 25. d Catul. *ad* Mall. Car. 69. *v.* 55. e Ov. Ep. Med. *ad* Jaſ. *v.* 37. f Corn. Gall. *El.* 3. *v.* 25. g Sen. Hip. *v.* 360.

Notæ.] 1 *Phædra inſano privigni Hippoliti amore accenſa.* 2 *Phædra eadem.* 3 *Amore ardet, Metaph.*

CAP. XXXII.

Amantium iræ amoris redintegratio.

UT pæne extinctum cinerem ſi ſulphure tangas,
Vivet, & è minimo maximus ignis erit;
Sic, niſi vitâris quicquid renovabit amorem,
Flamma retardeſcet, quæ modò nulla fuit.

Finge [b] iram motam; quoties Agamemnone 1 natum
Dixiſſe in 2 Pyladen verba proterva putas?
Nec procul à vero eſt, quod vel pulsârit amicum;
Manſit in officiis non minùs ille ſuis.
Quæ [c] modò pugnârunt, jungunt ſua roſtra columbæ,
Quarum blanditias verbaque murmur habet.
Ut [d] levis abſumptis paulatim viribus ignis
Ipſe latet, ſummo candet in igne cinis:
Sed tamen extinctas admoto ſulphure flammas
Invenit: & lumen, quod fuit antè, redit.

Nulla [e] vis major pietate verâ eſt:
Jurgia externis inimica durant:
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata cauſis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Quod 3 movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem,
Opprimit ferrum, manibuſque junctis
Ducit ad pacem pietas 4 negantes.

Redire [f] pietas, unde ſummota eſt, ſolet:
Reparatque vires juſtus amiſſas amor.

Authorum Loco.] [a] Ov. Rem. *L.* 2. *v.* 335. [b] Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 6. *v.* 25. [c] Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 465. [d] Id. *v.* 439. [e] Sen. Thyeſt. *v.* 547. [f] Id. *v.* 473.

Notæ.] 1 *Oreſtem.* 2 *Amicum ſuum chariſſimum.* 3 *Quem enſem belli ſtrinxit ira; hunc in vaginam verus amor recondit.* 4 *Etiam invitos in gratiam reducit.*

CAP.

CAP. XXXIII.

Forma amat artificium.

Diſcite, quæ faciem commendat cura puellæ;
Et quo ſit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum ſterilem 1 Cerealia pendere juſſit
Munera; mordaces interière rubi.
Cultus & in pomis ſuccos emendat acerbos;
Fiſſaque 2 adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent, auro ſublimia tecta linuntur:
Nigra ſub impoſito marmore terra latet.
Forſitan antiquæ, 3 Tatio ſub rege, puellæ
Maluerint, quàm ſe, rura paterna 4 coli.
At veſtræ teneras matres peperêre puellas,
Vultis inauratâ corpora veſte tegi.
Vultis odoratos poſitu variare capillos:
Conſpicuam gemmis vultis habere manum.
Induitis collo 5 lapides Oriente paratos:
Munditiæ veſtræ crimina nulla merent.
Non etenim indignum, ſi vobis cura placendi,
Cùm comtos habeant ſæcula noſtra viros.
Corpora [b] ſi veteres non ſic coluêre puellæ;
Nec veteres cultus ſic habuere viri.
Cura [c] dabit faciem; facies neglecta peribit;
Idaliæ 6 ſimilis ſit licèt illa deæ.
Munditiis [d] capimur; nè ſint ſine 7 lege capilli;
Admotæ formam dantque, negantque manus.

Cuncta [e] placent cultu; cultis bene 8 Liber ab uvis
Provenit; & culto ſtat ſeges alta ſolo.
Quæ [f] nunc nomen habent operoſi ſigna 9 Myronis,
Pondus iners quondam duraque maſſa fuit.
Annulus ut fiat, primo colliditur aurum,
Quas geritis veſtes, ſordida lana fuit.
Cùm fieret, lapis aſper erat; nunc nobile ſignum
Nuda 10 Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, (gratiſſima fœmina cultu!)
Aptius à 11 ſummâ conſpiciare manu.
Formoſæ [g] minùs artis opem, præceptaque curant:
Eſt illis ſua dos, forma ſine arte potens:
Rara [h] tamen facies mendâ caret; occule mendas;
Quâque potes, vitium corporis abde tui.
O [i] quantum veſtro indulget Natura decori;
Quarum ſunt multis damna 12 pianda modis!

Authorum Loca.] [a] Ov. *de* Medicam. Fac. *v.* 1. *& paſſim infra ad v.* 29. [b] Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 107. [c] Id. *v.* 105. [d] Id. *v.* 133. [e] Id. *v.* 101. [f] Id. *v.* 219. [g] Id. *v.* 257. [h] Id. *v.* 261. [i] Id. *v.* 159.

Notæ.] 1 *Fecit terram proferre fruges quarum Ceres eſt Dea.* 2 *Fructûs cepiam per inſitionem, Metaph.* 3 *Priſco Sabinorum Rege, Romuli conſorte.* 4 *Cultu curari.* 5 *Gemmas ab Indiâ Orientali regione petitas.* 6 *Veteri Dearum formoſiſſimæ; ſic ab Idalo Cypri monte, ſibi ſacro dictæ.* 7 *Sine arte, ornatu, Metaph.* 8 *Vinum cujus Liber ſeu Bacchus Deus, Metonym.* 9 *Inſignis ſtatuarii.* 10 *Veneris ſtatua.* 11 *Poſt ultimam manum cultui impoſitam.* 12 *Supplenda, emendanda, & corrigenda.*

CAP.

CAP. XXXIV.

——*Non omnia poſſumus omnes.*

[a]OMnia non pariter rerum ſunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.
Gloria 1 Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna;
Exactis 1 calamis ſe mihi jactat equis:
In Veneris tabula ſummam ſibi ponit 1 Apelles;
Parrhaſius 1 partâ vindicat arte locum:
Phidiacus 1 ſigno ſe Jupiter ornat eburno;
Praxitelem 1 propriâ vindicat arte lapis.
Sunt quibus 2 Eleæ concurrit palma quadrigæ;
Sunt quibus in celeres gloria nata pedes:
Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis;
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.
Navita [b] de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.
Non [c] tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Convenit; hæc oleis; hâc bene farra virent.
Dux [d] bonus, huic centum commiſit jure regendos;
Huic equites, illi ſigna tuenda dedit: [uſum,
Vos quoque de vobis, 3 quem quiſque erit aptus ad
Inſpicite; & certo ponite quemque loco.
Quid [e] tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum;
Non hæc ſunt digitis arma tenenda tuis.

Tu [f] nihil invitâ, dices, facieſve, 4 Minerva.
Non [g] equidem terræ ferre omnes omnia poſſunt;
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni

Naſcuntur; ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lætiſſima; denique apertos
Bacchus 5 amat colles; Aquilonem & frigora taxus.
Hic [h] ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ;
Noſce [i] ſoli vires, nemori quæ commoda rupes;
Quis felix oleæ tractus; quæ gleba faveret
Frugibus aut quales tegeret 6 vindemia colles.

Autborum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 7. *& infra. v.* 15. b Id. *L.* 2. *El.* 1. *v.* 43. c Ov. Art. Am. *L.* 1. *v.* 759. d Id. *L.* 3. *v.* 527. e Ov. Faſt. *L.* 2. *v.* 101. f Hor. Ar. Po. *v.* 385. g Vir. Ge. *L.* 2. *v.* 109. h Id. *L.* 1. *v.* 54. i Claud. *de* Mall. Theod. Conſul. *v.* 178.

Notæ.] 1 *Hi partim pictores partim ſtatuarii; arte & opere ſingulo cuique hìc attributis egregii.* 2 *Nonnulli contendunt de palmâ, quadrigâ; quæ Piſam Elidis urbem ad ludos Olympicos venit.* 3 *Vires & ingenii propenſiones.* 4 *Repugnante naturâ.* 5 *Vitis cujus primus Sator erat Bacchus.* 6 *Vitis. Metonym.*

CAP. XXXV.

Pereunt optima ſine uſu.

[a] QUod latet, ignotum eſt; ignoti nulla cupido:
Fructus abeſt, facies cùm bona 1 teſte caret.
Tu licèt & 2 Thamyran ſuperes, atque 2 Orphea
Non erit ignotæ gratia magna lyræ. [cantu;
Forma, niſi 3 admittas, nullo exercente, ſeneſcit;
Indigna [b] eſt pigro forma perire ſitu.
Æra [c] nitent uſu; veſtis bona quærit haberi;
Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.
Hinc famæ vigilare juvet; quis nôſſet Homerum,
Ilias æternum ſi latuiſſet opus?

Quis

Quis Danaën nôſſet, ſi ſemper clauſa fuiſſet;
Inque ſuâ turri perlatuiſſet anus?
Quò [d] tibi fortunæ tantum? quò regna ſine uſu?
Quid niſi poſſideas dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti 4 vulgator in undis;
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.
Quid [e] juvet, ad ſurdas ſi cantet 5 Phemius aures?
Quid cæcum Thamyran picta tabella juvet?

Heu [f] quantum diſtant à morte ſilentia vitæ!
Major [g] & utilior fato conjuncta potenti,
Vilè latens Virtus; quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit obſcuro? veluti ſine remige puppis;
Vel lyra quæ reticet; vel qui non tenditur arcus.
Abdita [h] quid prodeſt generoſi vena metalli,
Si 6 cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit? omnia quamvis
Armamenta gerat; teretique fluentia malo
Poſſit, & excuſſo dimittere vela rudente?

Paulùm [i] ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. ———

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 397. & *L.* 1. *v.* 453. b Ov. Am. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 14. c Id. *L.* 2. *El.* 8. *v.* 51. & Art. Am. *L.* 3. *v.* 413. d Ov. Am. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 49. e Id. *v.* 61. f Sil. It. *L.* 3. *v.* 145. g Claud. *in* 4. Conſ. Hon. *v.* 222. h Luc. Paneg. *ad* Piſ. *v.* 213. *i* Hor. *L.* 4. *Od.* 9. *v.* 19.

Notæ.] 1 *Amatore.* 2 *Eximios citharœdos.* 3 *Amatorem.* 4 *Tantalus qui Deorum arcana vulgavit.* 5 *Cytharœdus. Homeri præceptor.* 6 *Ad aurum effodiendum & purgandum.*

CAP.

CAP. XXXVI.

Amor in moribus, meliùs quàm formâ fundatur.

[a]PRima ſit in vobis morum tutela, puellæ:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum eſt; formam populabitur ætas,
Et placitus rugis vultus 1 aratus erit.
Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum;
Fertque ſuos annos: hinc bene pendet amor.
Sit [b] procul omne nefas; ut ameris, amabilis eſto;
Quod tibi non facies, ſolave forma dabit.
Sed 2 molire animum, qui duret, & 3 adſtrue formæ;
Solus ad extremos pervenit ille rogos.
Cura ſit ingenuas pectus coluiſſe par artes;
Ingenii dotes corporis adde bonis.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes;
Et tamen æquoreas torſit amore 4 Deas.
Ergò age, fallaci timidè confide figuræ,
Quiſquis es; atque 5 aliquid corpore pluris habe.
Si [c] tibi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna repende tuæ.
——[d] Malè quæritur 6 herbis,
Moribus & formâ conciliandus amor.

Probitas [e], fideſque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito; ſola perpetuò manent.

Subjecta.

Subjecta nulli, mentis atque animi bona;
Florem decoris finguli carpunt dies.

Authorum Loca.] a Ov. *de* Med. Fac. *v.* 43. b Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 107, & 119, & 143. c Ov. *Ep.* Sapph. *ad* Pha. *v.* 31. d Ov. *Ep.* Hip. *ad* Jaſon. *v.* 93. e Sen. Octav. *v.* 538.

Notæ.] 1 *Rugoſus, Metaph.* 2 *Animi mores para.* 3 *Adde.* 4 *Nymphas maris, inter quas erat Calypſo, Oceani & Thetidis filia; quæ Uliſſis amore Græcorum facundiſſimi exarſit.* 5 *Nempe virtutes & animi bona.* 6 *Quibus uti veneficæ mulieres ad amorem excitandum credebantur.*

CAP. XXXVII.

Sors omnia verſat.

[a]PAſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modò læta manet, vultus modò ſumit acerbos,
Et tantùm conſtans in levitate ſuâ eſt.
Vidi ego, naufragium qui riſerat, æquore mergi:
Et, nunquam dixi, juſtior unda fuit.
Vilia qui quondam miſeris alimenta negârat,
Nunc mendicato paſcitur ipſe cibo.
Amplexu [b] non 1 ulla fovet fortuna perenni;
Verſatur celeri tam levis orbe rota.
Hæc [c] Dea 2 non ſtabili, quam ſit levis, orbe fatetur;
Quem ſummum dubiâ ſub pede ſemper habet.
Quolibet eſt folio, quávis incertior aurâ:
Par illi levitas, fœmina, ſola tua eſt.
Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta:
Humanæque [d] memor ſortis, quæ tollit eoſdem
Et premit; incertas ipſe verere vices.

Si

Si [1] fortuna volet, fies de 3 rhetore 4 conſul;
Si volet hæc eadem; fies de conſule rhetor.
Ventidius 5 quid enim? quid 5 Tullius? anne aliud
Sydus, & occulti miranda potentia fati? [quàm
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Multos [f] ex humili magna ad Faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna 6 jocari.

Fortuna [g] ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Quos [h] felices 7 Cynthia vidit,
Vidit miſeros abitura dies.
Rarum eſt felix, idemque ſenex.
Feriunt [i] celſos fulmina montes;
Corpora morbis majora patent.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 8. *v.* 15, & 11. b Sil. Ital. *L.* 7. *v.* 245. c Ov. Pont. *L.* 4. *El.* 3. *v.* 31, & 57. d Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 11. *v.* 67. e Juv. *Sat.* 7. *v.* 197. f Id. *Sat.* 3. *v.* 39. g Horat. *Lib.* 3. *Od.* 29. *v.* 49. h Sen. Herc. Ov. *v.* 641. i Id. Agam. *v.* 96.

Notæ.] 1 *Favore.* 2 *Fortunæ.* 3 *Eloquentiæ in Scholis doctore.* 4 *Summus Romæ Magiſtratus.* 5 *Qui è ſervis facti Romæ Imperatores.* 6 *Eoſdem tollere & deprimere, jocus eſt luduſque Fortunæ.* 7 *Nox quâ lunâ, id eſt Cynthia, oritur, ita dicta à Cynthо Deli inſulæ monte.*

CAP.

CAP. XXXVIII.

Spe vivimus.

FInirent multi letho mala; credula vitam
Spes alit, & meliùs cras fore ſemper ait.
Spes etiam validâ ſolatur compede vinctum;
Crura ſonant ferro; ſed canit inter opus.
Spes alit agricolas; ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno 1 fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit antè cibus.
Hæc [b] facit, ut vivat vinctus quoque compede foſſor;
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut videat cùm terras undique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura reliquit;
Non ſpes huic, venâ deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem;
Atque aliquis, pendens in cruce, vota facit.
Hæc Dea, quam multos laqueo ſua colla ligantes,
Non eſt propoſitâ paſſa perire nece!
Hæc Dea conantes gladio finire dolores
Arcuit, injectâ continuitque manu.
Spem [c] retine, ſpes una hominem nec morte reliquit,
Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.
Spes [d] quoque poſſe morâ miteſcere 2 Principis iram,
Vivere ne 3 nolim, deficiamve, facit.

Authorum Loca] a Tib. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 1. b Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 7. *v.* 31. c Cat. *L.* 2. *Diſt.* 25. d Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 79.

Notæ.] 1 *Magno cum incremento.* *Metaph.* 2 *Cæſaris Auguſti in Ovidium.* 3 *Verba Ovidii de ſe.*

CAP.

CAP. XXXIX.

Reddunt miſero ſolatia vitam.

[a]REddita confuſæ nuper ſolatia menti
Auxilium noſtris ſpemque tulêre malis.
Utque 1 Machaoniis 2 Pæantius artibus Heros,
Lenito medicam vulnere ſenſit opem:
Sic 3 ego monte jacens, & acerbo ſaucius ictu,
Admonitu cœpi fortior eſſe tuo:
Et jam deficiens, ſic ad tua verba revixi,
Ut ſolet infuſo vena redire mero.
Cujus [b] ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil, infusâ 4 Pallade, flamma ſolet.
Grande [c] voco 5 meritum mœſtæ ſolatia mentis,
Cùm pariter nobis illa, tibique dares.
Hoc [d] ubi fortunæ ſenſi, quòd amicus abeſſes,
Qui mihi præſidium grande futurus eras:
Tecum tunc aberant ægræ ſolatia mentis,
Magnaque 6 pars animæ, conſiliique mei.

Authorum Loca.] [a] Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 3. [b] Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 5. *v.* 3. [c] Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 11. *v.* 11. [d] Id. *L.* 1. *El.* 7. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Machaon Æſculapii filius, medicus inſignis.* 2 *Philoctetes filius Pæantis, vulnere fere immedicabili Herculis ſagitta affectus.* 3 *Ovidii verba de ſe.* 4 *Oleo: inventrice pro invento poſita. Metonym.* 5 *Beneficium.* 6 *Sic Horatius vocat amicum animæ dimidium.*

CAP.

CAP. XL.

Regina pecunia rerum.

[a] HEU nunc desertis cessant sacraria lucis!
Aurum omnes, victâ jam pietate, colunt.
Aurea nunc verè sunt sæcula; plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides; auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Munera [b] (crede mihi) capiunt hominesque Deosque;
Placatur donis Jupiter ipse datis.
Hinc [c] fortè admonitus, nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium 1 virginis 2 ipse fuit.
Vix [d] auro quenquam possis regnante videre,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
In pretio pretium nunc est; dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique jacet.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix ultrà, quò jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis;
Dum populus pauper, parvaque Roma fuit.
Cur [e] nemo est 3 Hecalem, nulla est quæ ceperit 4
Nempe quod alter egens, altera pauper erat. [Irum?
Quisquis [f] habet nummos, securâ naviget aurâ;
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaën; ipsumque licebit.
Acrisium jubeat credere, quod Danaën.

Carmina

Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſas, ſitque 5 Catone prior.
Multa loquor; quodvis, nummis præſentibus, opta,
Et veniet; clauſum poſſidet arca Jovem.

——— [g] Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? ———
——— [h] Inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas; etſi, funeſta Pecunia, templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Aurum [i] per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo: concidit 6 auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa excidio. Diffidit urbium
Portas 7 vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus: munera navium
Sævos illaqueant duces.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 11. *v.* 48. b Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 653. c Ov. Am. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 29. d Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 193, & 218. e Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 351. f Petron. Metr. 28. g Virg. Æn. *L.* 3. *v.* 56. h Juv. Sat. 1. *v.* 112. i Hor. *L.* 3. *Od.* 16. *v.* 9.

Notæ.] 1 *Danaës quam corrupit in aurum mutatus.* 2 *Jupiter.* 3 *Anum pauperculam.* 4 *Pauperem.* 5 *Romanorum omni virtute abſolutiſſimo.* 6 *Amphiarai vatis tota familia.* 7 *Philippus Macedoniæ rex; cui bellicæ Machinæ inſtar aſinus onuſtus auro.*

CAP.

CAP. XLI.

Tu nè cede malis.

TU nè cede malis, ſed contrà audentior ito;
Fortiter ediſce & triſtia poſſe pati;
Omnia [b] deficiant; animus tamen omnia vincit;
Ille etiam vires corpus habere facit.
Suſtineas ut onus, nitendum eſt vertice recto;
At, flecti nervos ſi patiare, cades.
Poſſe [c] pati, facile eſt; tibi ni ſapientia deſit.
Fortiter [d] ille facit, qui miſer eſſe poteſt.
Indignata [e] malis mens eſt ſuccumbere, ſeque
Præſtitit invictam, viribus uſa ſuis.
Quo [f] fortuna magis ſævit, magis ipſe reſiſtis;
Utque decet, nè te vicerit illa, caves.

——— [g] Patientia caſus
Exſuperat cunctos; [h] 1 Serpens, ſitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris;
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.
Quicquid [i] adeſt duri, & rerum 2 inclinata feramus.

Illud [k] decebit roboris magni virum,
Non eſſe ſub dolore; nec victum malis
Dare terga: non eſt vera nam virtus, 3 pater,
Timere vitam, ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare.
Virtutis eſt, domare quæ cuncti timent.
——— [l] Quid juvat multo mala

Gravare

Gravare queſtu? 4 regium hoc ipſum reor
Adverſa capere; quôque ſit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles ruat,
Hoc ſtare certo preſſiùs fortem gradu.
Haud eſt virile, terga fortunæ dare.

Authorum Loca.] a Virg. Æn. L. 6. v. 95. b Ov. Pon. L. 2. El. 7. v. 75. c Ov. Rem. Am. L. 2. v. 125. d Mart. L. 11. Ep. 57. e Ov. Triſt. L. 4. El. 10. v. 103. f Ov. Pon. L. 2. El. 3. v. 51. g Sil. Ital. Lib. 6. v. 545. h Lucan. L. 9. v. 403. i Sil. It. Lib. 6. v. 119. k Sen. Theb. v. 188. l Sen. Oedip. v. 81.

Notæ.] 1 *Verba Catonis de contemnendis aridæ & arenoſæ Libyæ ſerpentibus.* 2 *Res inclinatas, ſeu miſeras.* 3 *Verba Antigonæ ad Oedipum patrem.* 4 *Virtutem maximè regiam.*

C. A P. XLII.

Nè proſpera animos efferant.

SPes heu fallaces, oblitaque corda! caducum
Mortali quodcunque datur! [b] modo 1 quem [ter ovantem
Jupiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat ſubmiſsâ 2 Boſphorus undâ;
Prô pudor! imperii deſerto nomine fugit:
Ut fortuna levis Magni quoque terga videret.
Neſcia [c] mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis.
Deſinat [d] elatis quiſquam confidere rebus;
Inſtabileſque Deos, & lubrica numina diſcat.
Adſpiciat [e], quiſquis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat; triviis calcandus ſpargitur ecce,

Qui 3 ſibi 4 Pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos exſtruxit culmina 5 Manes;
Nudus paſcit aves, [f] jacet ingens littore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.
Heu vanæ mentes, tumefactaque corda ſecundis!

——— [g] Quo fortuna altiùs
Evexit, & levavit humanas opes;
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet;
Varioſque caſus tremere; metuentem deos
Nimiùm faventes: magna momento obrui
Vincendo diſcis, victor: [a] hinc placidus preces,
Patienſque recipe; quoque te celſum altiùs
Superi levârunt, mitiùs lapſos preme:
Miſero datur, quodcunque 6 Fortunæ datur.

Authorum Loca.] a Sil. It. *L.* 7. *v.* 47. b Petron. *de* Bell. Civ. *v.* 240. c Virg. Æn. *L.* 10. *v.* 501. d Claud. *in* Ruf. *L.* 2. *v.* 440. e Id. *v.* 446. f Virg. Æn. *L.* 2. *v.* 557. g Sen. Tro. *v.* 257. h Id. *v.* 692.

Notæ.] 1 *Pompeium, qui cùm ter in Jovis templo Capitolio triumphâſſet, Cæſarem victorem fugiebat.* 2 *Anguſtum maris fretum inter Europam & Aſiam.* 3 *Rufinus, aulicus Arcadii imperatoris.* 4 *Egregia monumenta inſtar Pyramidum in Ægypto.* 5 *Cadaver.* 6 *Parcelaturi illi, qui miſeris ſuccurrit, lubricæ fortunæ memor.*

CAP. XLIII.

Re fias, quod te ſimulas.

[a] QUod non es ſimula; poſitoſque imitare furores;
Sic facies verè, quod meditatus eris.
Sæpe ego ne biberem, volui dormire videri:
Dum videor, ſomno lumina victa dedi.

Deceptum riſi, qui ſe ſimulabat amare;
In 1 laqueos auceps decideratque ſuos.
Intrat amor mentes uſu, dediſcitur uſu;
Qui poterit ſanum fingere, ſanus erit.
Sæpe [b] etiam verè coepit ſimulator amare;
Sæpe quod incipiens finxerat eſſe, fuit.
Quo magis ô faciles imitantibus eſte, puellæ:
Fiet amor verus, qui modò fictus erat.

Diſcurſus [c] varios, 2 vagumque mane,
Et faſtus, & ave potentiorum,
Cùm perferre patique jam negaret,
Cœpit fingere 3 Cœlius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et ſanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu 4 laborioſo;
(Quantum 5 cura poteſt, & ars doloris!)
Desit 6 fingere Cœlius podagram.

Autborum Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 101. b Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 615. Mart. *L.* 7. *Ep.* 38.

Notæ.] 1 *In amorem à ſe (ut fœminam caperet) ſimulatum. Metaph.* 2 *Matutinas clientum diſcurſitationes.* 3 *Fictitium clientis tormen.* 4 *Dolore affecto.* 5 *Ironice.* 6 *Verâ enim laboravit podagrâ; quam diù ſimulaverat.*

CAP. XLIV.

Tuta paupertas periculosâ melior opulentiâ.

[a] PAuperiem, modico contentus, ſemper amavi;
Et rerum dominus, nil cupiendo, fui.
Divitias [b] alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa ſoli.

Me

Me mea paupertas vitæ 1 traducat inerti,[1]
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.
Induat [c] adverſis 2 contraria pectora telis
Miles; & æternum ſanguine nomen emat.
Plaude [d] tuo, miles, Marti; nos odimus arma;
Pax juvat, & mediâ pace reperta quies.
Quærat [e] avarus opes, & quæ 3 laſsârit arando
Æquora, perjuro naufragus 4 ore bibat.
Plaudite [d] Neptuno, nimiùm qui creditis undis;
Nil mihi cum pelago; me mea terra capit.
Non [e] ego divitias avidus ſine fine parandi
Latum mutandis mercibus æquor aro.
Nec [f] me regna juvant; nec Lydius aurifer 5 amnis;
Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.
Hæc alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo, charâ poſſe quiete frui.
Nec [g] nos ambitio, nec amor nos tangit habendi;
Contempto colitur lectus & umbra foro.

Senſit [h] Alexander, teſtâ cum vidit in illâ
Magnum 6 habitatorem, quanto felicior hic, qui.
Nil cuperet; quam qui totum ſibi poſceret orbem;
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus
Commoda [i] naturæ nullo tibi tempore deerunt;
Si contentus eo fueris, quod poſtulat uſus.

Alium [k] multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per urbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat & aſtris: alius 7 curru

Sublimis eat; me mea tellus
Lare ſecreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana ſenectus;
Humilique loco, ſed certa ſedet
Sordida parvæ fortuna domûs.

Autborum Loca.] a Cor. Gal. *El.* 1. *v.* 53. b Tib. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 1. c Ov. Am. *L.* 2. *El.* 10. *v.* 31, & 33. d Id. *L.* 3. *El.* 2. *v.* 49, & 47. e Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 75. f Tib. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 29. g Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 541. h Juv. *Sat.* 14. *ver.* 311. i Cat. *L.* 4. *Diſt.* 2. k Sen. Here. Fur. *v.* 192.

Notæ.] 1 *Me vitæ tranſmittat otioſæ.* 2 *Incurrat in hoſtium tela.* 3 *Per quæ toties navigavit.* 4 *Max mergendus.* 5 *Pactolus auriſer Lydiæ fluvius.* 6 *Diogenem.* 7 *Trimpbali ut victor.*

CAP. XLV.

Veterani imbecilli.

[a]Fortior in fulvâ novus eſt luctator [1] arenâ,
Quàm cui ſunt tardâ brachia feſſa morâ.
Nempe eſt non minimum, vires afferre recentes;
Nec præconſumptum temporis eſſe malis.
Integer eſt melior nitidis gladiator in armis,
Quàm cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modò facta procellas;
Quamlibet exiguo ſolvitur imbre vetus.
Conteritur [b] ferrum, ſilices tenuantur ab uſu;
Sic & continuâ meſſe feneſcit ager.
Scilicet & veteres fugiunt juga curva juvenci;
Et domitus fræno ſæpe repugnat equus.

Quàm

Quàm [c] jacet, infirmæ venêre ubi fata ſeneſtæ,
Qui prior Elæo eſt 2 carcere miſſus equus?

——— [d] 3 Vejanius armis
Herculis 4 ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Nè populum extremâ toties 5 exoret arenâ.
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, nè
Peccet ad extremum ridendus, & 6 ilia ducat.
Tandem [e] ſolicito cedit vis dura labori,
Belligeramque datur ſomno 7 componere mentem.
Sicut [f] fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit 8 Olympia, nunc ſenio confectu, quieſcit.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 31, & 29, & 23. b Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 91, & 82. c Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 27. d Hor. *L.* 1. *Ep.* 1. *v.* 4, & 8. e Sil. It. *L.* 3. *v.* 161. f Ennii *Verſus ex Fragment.*

Notæ.] 1 *Loco in theatro, quo pugnabant Gladiatores, arenâ ſparſo, nè laberentur.* 2 *Loco unde equi emiſſi erant certaturi ludis Olympicis, juxta urbem Elidis.* 3 *Gladiator inſignis.* 4 *In Templo Herculis, ejuſmodi certaminum Dei.* 5 *Vitam oret à populo.* 6 *Ægrè ſpiritum ducat.* 7 *Ad requiem componere.* 8 *In Olympicis ludis.*

CAP. XLVI.

Fit vivax carmine virtus.

[a] FActa ducum vivent, operoſaque gloria rerum,
Hæc manet; hæc avidos effugit una rogos.
Pars erit hiſtoriæ, totoque legetur in ævo:
Seque opus ingeniis carminibuſque dabit. [nôſti,
Scripta [b] ferunt annos; 1 ſcriptis 2 Agamemnona
Et quiſquis 3 contrà, vel ſimul, arma tulit.

Carmine fit vivax virtus; experſque ſepulchri,
Notitiam ſeræ poſteritatis habet. [nôſſet?
Quis 4 Thebas, ſeptemque duces, ſine carmine
Et quicquid poſthæc, quicquid & antè fuit?
Carmina magnarum peragunt præconia laudum;
Neve ſit actorum fama caduca cavent.
Quem [c] referent Muſæ, vivet; dum robora tellus,
Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.
Corpora [d] debentur mœſtis exſanguia buſtis;
Effugiunt ſtructos nomen honoſque rogos:
Occidit & Theſeus, & qui 5 comitavit Oreſten;
Sed tamen in laudes vivit uterque ſuas.
Ergo [e] cùm ſilices, cùm dens patientis aratri
Depereant ævo; carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, regumque triumphi;
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Vixêre [f] fortes ante 2 Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique, longâ
Nocte 6, carent quia vate ſacro.

Non [g] inciſa notis 7 marmora publicis,
Per quæ ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus, clariùs indicant
Laudes; quàm celebres 8 Pierides: neque
Si chartæ ſileant, quod benefeceris,
Mercedem 9 tuleris ———

Dignum

Dignum laude virum Musa vetat mori;
Cœlo 10 Musa beat.

Authorum Loca.] a Pedon. Eleg. *in Obit.* Drusi. *v.* 265. b Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 47, & 51, & 45. c Tib. *Lib.* 1. *El.* 4. *v.* 59. d Ov. Pont. *L.* 3. *El.* 2. *v.* 31. e Ov. Am. *L.* 1. *El.* 15. *v.* 31. f Hor. *L.* 4. *Od.* 9. *v.* 25. g Id. *L.* 4. *Od.* 8. *v.* 13. & *infra.*

Notæ.] 1 *Homeri Iliade.* 2 *Græcorum in obsidio Trojæ Ducem.* 3 *Contra Agam. vel simul cum eo pugnavit.* 4 *Bella septem ducum Argivorum contra Thebanos gesta.* 5 *Pylades.* 6 *Oblivionis caligine.* 7 *Imagines è marmore, titulis ducum inscriptæ.* 8 *Musæ.* 9 *Laudem gestorum præmium.* 10 *Immortali gloria.*

CAP. XLVII.

Vino pelluntur curæ.

[a]CAndide, liber, ades; sic sit tibi mystica vitis;
Sic 1 hederâ semper tempora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem,
Cura gravis cecidit munere victa tuo.
Chare puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis pronâ funde Falerna manu.
Ite procul curæ, durum genus; ite labores:
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vince [b] mero curas, & quicquid fortè remordet,
Comprime; deque animo 2 nubila pelle meo.
Nox curam si prendat, alit; malè creditur illi
Cura nisi à multo marcida facta mero.
Vina [c] parant animos, faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper 3 cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.

Ille [d] liquor, docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſolüenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert;
Crura licèt durâ compede pulſa ſonent.
Ergo [e], ô Bacche, tuis humiles advolvimur aris,
Da mihi pacato vela ſecunda, pater.
Tu potes inſanæ Veneris compeſcere faſtus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te ſolvuntur amantes;
Tu 4 vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Semper enim vacuos nox ſobria torquet amantes;
Speſque timorque animum verſat utroque modo.

Sæpe [f] Jovem memorant diffuſum 5 nectare curas
Sepoſuiſſe graves, vacuâque agitâſſe remiſſos
Cum Junone jocos.———

Albus [g] ut obſcuro 6 deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos, ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores,
Molli ſæpe mero.———

Tu [h] lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo:
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,

Vireſque

Vireſque; & addis cornua pauperi.

——— [1] Cadus
Spes donare novas largus, [7] amaraque
Curarum eluere [8] efficax.

Auctorum Loca.] a Tib. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 1. b Epig. Petron. Afran. *ad* calcem Petron. Ar. c Ov. Art. Am. *L.* 1. *v.* 237. d Tib. *L.* 1. *El.* 8 *v.* 37. e Prop. *L.* 3. *El.* 15. *v.* 1. f Ov. Metam. *L.* 3. *v.* 318. g Hor. *L.* 1. *Od.* 7. *v.* 15. h Id. *L.* 3. *Od.* 21. *v.* 13. i Hor. *L.* 4. *Od.* 12. *v.* 19.

Notæ.] 1 *Hedera Baccho ſacra.* 2 *Curas quæ animum obnubiant. Metaph.* 3 *Animi audaciam. Metaph.* 4 *Omnem mentis purga ſolicitudinem.* 5 *Deorum p tu.* 6 *Diſcutit. Metaph.* 7 *Curas amaras. Græciſm.* 8 *Qui ſatis valet ad curas eluendas.*

CAP. XLVIII.

Principia rerum parva.

[a]DUM novus errat amor, vires ſibi colligit uſu:
Si benè nutrieris, tempore firmus erit.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas;
Sub quâ nunc recubas arbore, virga fuit.
Naſcitur exiguus, ſed 1 opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.
Parva etiam primo quo tempore condita Roma,
Roma, triumphati quæ caput orbis erat,
Nam [b] mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,
Et validas ſegetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primùm tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus ſummâ tellure revelli;
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Flumina paùca vides, de magnis fontibus orta:
  Plurima collectis multiplicantur aquis.
Dum [c] novus in viridi coalescit cortice ramus;
  Concutiat 2 tenerum quælibet aura, cadet:
Mox eadem ventis, spatio durata, resistet;
  Firmaque 3 adoptivas arbor habebit 4 opes.

Quæ [d] tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa 5 matri tempora exiguo subit;
Umbrasque terris 6 reddit, & cœlo nemus.

Authorum Loca.] a Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 339. b Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 83, & 97. c Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 649. d Sen. Tro. *v.* 539.

Notæ.] 1 *Aquarum copiam.* 2 *Si quatiat.* 3 *Per insitionem. Ut fac ramum ramus adoptet.* 4 *Vires. Metaph.* 5 *Arbori, è quâ planta excisa fuit.* 6 *Frondoso & ramoso cacumine.*

CAP. XLIX.

Prædæ quàm cæca Cupido est.

[laudant;

[a]FErrea non 1 Venerem, sed prædam sæcula
  Præda tamen multis est 2 operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis,
  Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago jussit 3 geminare pericula ponto,
  Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsistere campos,
  Ut multo innumeram jugere pascat ovem.
Lucra [b] petens habili tauros adjungit aratro,
  Et durum terræ rusticus urget opus.

Lucra

Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.
Nam [c] reditus jam quiſque ſuos amat; & ſibi quid ſit
Utile, ſolicitis computat 4 articulis.

Quod [d] ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Corvos 5 Poëtas, & Poëtrias picas
Cantare credas 6 Pegaſeïum melos.

Impiger [e] extremos curris, mercator, ad Indos;
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes,
Cùm [f] ſit cauſa mali tanti, & diſcriminis hujus,
Conciſum 7 argentum in 1 titulos, facieſque minutas,
——— [g] 10 Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet; illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur; Diis, atque ipſo Jove 11 digna, 12 Poëtæ;
Unde habeas quærat nemo, ſed oportet habere.

Authorum Loca.] a Tib. *L.* 2. *El.* 6. *v.* 17. b Id. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 7. c Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 17. d Perſ. Prolog. *v.* 14. e Hor. *L.* 1. *Ep.* 1. *v.* 45. f Juv. *Sat.* 14. *v.* 290. g Id. *Sat.* 14. *v.* 204.

Notæ.] 1 *Voluptatem cujus Venus eſt Dea.* 2 *Functa eſt.* 3 *Et navigando & pugnando.* 4 *Digitis, quibus olim fieri ſolebat computatio.* 5 *Tanquam Poëtas.* 6 *Carmen Muſis dignum quarum equus Pegaſus.* 7 *Nummus.* 8 *Regum.* & 9 *Cæſarum.* 10 *Alludit ad reſponſum Flavii Veſp. apud Sueton. cap.* 23. 11 *Tanquam Oraculo verior.* 12 *Ennii.*

CAP. L.

——— *Heu quantum pœnæ mens conſcia donat!*

[intra.

[a] COnſcia mens ut cuique ſua eſt: ita concipit
Pectora, pro facto ſpemve metumve ſuo.

Exemplo [b] quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori; prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur; improba quamvis
Gratia fallacis 1 Prætoris vicerit 2 urnam.
Heu [c]! quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!
Nam [d] ſcelere admiſſo, rubet hic, cui conſcia mens eſt
Crimin bus, tacitâ ſudant præcordia culpâ.
Nec [e] fugiſſe putes; quos diri conſcia facti,
Mens habet attonitos, & ſurdo 3 verbere cedit;
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens; ac multo ſævior illis,
Quas & 4 Cæditius gravis invenit, & 5 Rhadamanthus;
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore 6 teſtem.
Nam [f] metus in vitâ pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſque luela.
Quæ tamen etſi abſunt, at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens adhibet ſtimulos; torquetque flagellis;
Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec quæ ſit pœnarum denique finis;
Atque eadem metuit, magis hæc nè in morte
[graveſcant.

Negata [g] magnis ſceleribus ſemper quies:
Eſt pœna præſens conſciæ mentis pavor;
Animuſque culpâ plenus, & ſemet timens.
Scelus 7 aliqua 8 tutum, nulla 9 ſecurum tulit.

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 485. b Juv. *Sat.* 13. *v.* 1. c Ov. Met. *L.* 2. *v.* 447. d Juv. *Sat.* 1. *v.* 166. e Id. *Sat.* 13. *v.* 193. f Lucr. *L.* 3. *v.* 1027. g Sen. Hip. *v.* 161.

Notæ.] 1 *Judicis.* 2 *Judicium. Nam Judices ſuffragia in urnam conjiciebant.* 3 *Tacitis malæ conſcientiæ plagis.* 4 *Severus Judex.* 5 *Unus ex infernis judicibus.* 6 *Conſcientiam, quæ partes teſtis, judicis, imo & tortoris agit.* 7 *Mulier ſive mens.* 8 *A pœna.* 9 *A pœnæ timore.*

CAP.

CAP. LI.

Difficilia magnanimis pulchra.

IN causâ facili cuivis licet esse diserto;
Et minimæ vires frangere quassa valent;
Subruere est arces & stantia mœnia virtus;
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.
Ardua [b] molimur; sed nulla nisi ardua virtus;
Difficilis pulchrâ poscitur arte labor.
Magnum [c] iter ascendo; sed dat mihi gloria vires,
Non juvat ex facili lecta 1 corona jugo.
Venator [d] sequitur fugientia, capta relinquit;
Gloria pugnantes vincere major erit.
Quæ [e] venit ex tuto, minùs est accepta voluptas,
Gloria non minimo parta labore juvat.
Difficile [f] est, fateor; sed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia major erit.

Quod facile est, vile est; [g] leporem venator ut altâ
In nive sectatur, positum sic tangere nolit;
Captat, & apponit; meus est amor 2 huic similis, qui
Transvolat in 3 medio posita, & fugientia captat.

Nolo [h] quid cupio statim tenere,
Nec victoria mi placet 4 parata:
Quicquid 5 quæritur, optimum videtur.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. *L.* 3. *El.* 11. *v.* 21. b Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 537. c Prop. *L.* 4. *El.* 11. *v.* 3. d Ov. Am. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 9, & 7. e Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 603. f Ov Pon. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 113. g Hor. *L.* 1. *Sat.* 2. *v.* 105. h Pet. Metr. 12.

Notæ.] 1 *Victoriæ merces facili parabilis.* 2 *Venatori.* 3 *Sine labore obvia.* 4 *Non jam parta, sed meo labore paranda.* 5 *Non sine difficili labore obtinetur.*

CAP. LII.

Famâ mendax veloxque.

FAma, malum quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo:
Parva metu primò; mox ſeſe attollit in auras;
Ingrediturque ſolo, & caput inter 1 nubila condit;
Tam fícti pravique tenax, quàm nuncia veri.
Ipſa [b] quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure, videt; totumque inquirit in orbem.
Namque domus Famæ tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, voceſque refert, iteratque quod audit.
Atria turba tenet; veniunt leve vulgus, euntque,
Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum; confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio; menſuraque fícti
Creſcit, & auditis aliquod novus adjicit autor.
——— [c] Linguis Fama loquacibus ales
Pervolat Oceanum; [d] quæ veris addere falſa
Gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit.
Non [e] Erebi, non diva poli; terraſque fatigat
Quas datur; audentem primi ſpernuntque foventque;
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.
Fama [f] per Auſoniæ turbatas ſpargitur urbes,
Et gliſcit greſſu; volucrique citatior Euro,
Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.

Adſtruit

Adſtruit 2 auditis, 3 docilis per 4 inania rerum
Paſcere 5 rumorem, vulgi pavor.

Authorum Loca.] aVirg. Æn. *L.* 4. *v.* 174. b Ov. Met. *L.* 12. *v.* 62, & 46, & 53. c Claud. *de* Laud. Stil. *L.* 2. *v.* 408. d Ov. Metam. *L.* 9. *v.* 138. e Valer. Flacc. Arg. *L.* 2. *v.* 120. f Sil. It. *L.* 4. *v.* 1, & 6.

Notæ.] 1 *Quia rumorum authores plerumque latent & ignoti ſunt.* 2 *Aliquid novi addit.* 3 *Natura ſua prompta & parata.* 4 *Per res inanes. Græciſm.* 5 *Augere. Metonym.*

CAP. LIII.

Dolores levat queſtus.

[a]CRede mihi, miſeris eſt quædam flere voluptas:
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.
Eſt [b] aliquid, fatale malum per verba levari;
Hoc querulam 1 Prognen, 2 Halcyonenque facit:
Hoc erat, in gelido quare 3 Pæantius antro
Voce fatigaret 4 Lemnia ſaxa ſua.
Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus,
Cogitur & vires multiplicare ſuas.
At [c] poteras, inquis, meliùs mala ferre ſilendo;
Et tacitus caſus diſſimulare tuos.
Exigis, ut nulli gemitus tormenta ſequantur:
Acceptoque gravi vulnere, flere vetas:
Ipſe 5 Perillêo 6 Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.
Cùm 7 Priami lacrymis offenſus non ſit Achilles,
Tu 8 fletus prohibes, durior hoſte, meos?
Cùm faceret Nioben orbam 9 Latonia proles;
Non tamen & ſiccas juſſit habere genas.

Lacrymas

Lacrymas [d] lacrymis miſcere juvat.
Magis exurunt, quos ſecretæ
Lacerant curæ; juvat 10 in medium
Deflere ſuos.———

Venit [e] in medias voces gemitus,
Mœror lacrymas amat aſſuetas.
Flendi miſeris dira cupido eſt;
Libet infauſtos mittere queſtus.
Libet & Tyrio 11 ſaturas oſtro
Rumpere veſtes: ululare libet.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 3. *v.* 37. b Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 1. *v.* 59. c Id. *v.* 49. d Sen. Agam. *v.* 658. e Sen. Thyeſt. *v.* 948.

Notæ.] 1 *Pandionis Athenarum regis filiam; ob immodicum ſororis ſuæ à marito Tereo ſtupratæ dolorem, in hirundinem converſam.* 2 *Ceycis uxorem; quem naufragio amiſſum, cùm immodicè lugeret, in avem ſui nominis mutata erat.* 3 *Philoctetes Pœantis filius, graviter à venenatâ Herculis ſagittâ vulneratus.* 4 *In Lemno inſulâ relictus à Græcis.* 5 *In bovis æreo à Perillo invento.* 6 *Etſi Tyrannorum crudeliſſimus.* 7 *Filii Hectoris cadaver ad ſepulturam rogantis.* 8 *Ovidii verba de amico flentum ejus prohibente.* 9 *Apollo & Diana.* 10 *In commune.* 11 *Bis vel plenè tinctas Tyriâ purpurâ.*

CAP. LIV.

Fœmineis nec tu lacrymis, nec credito verbis.

[a] CRede mihi, mulier cupido quod dicit amanti,
In 1 vento & rapidâ ſcribere oportet aquâ.
At [b] te nec voces (quid enim fallacius illis?
Crede, nec æternos 2 pondus habere 3 Deos?)
Neve puellarum lacrymis moveare caveto;
Ut flerent, oculos erudiere ſuos.

Credi-

Credidimus [c] lacrymis; an hæ ſimulare docentur?
Hæ quoque habent 4 artes, quâque jubentur, eunt.
Quin [d] etiam diſcunt oculi lacrymare coacti,
Quoque [e] volunt plorant tempore, quoque modo.
Crede [f] ratem ventis, animam ne crede puellis;
Namque eſt fœmineâ tutior unda fide.
Quæ [g] levior foliis, tunc cùm, ſine pondere ſucci,
Mobilibus ventis arida facta volant.
Et minus eſt in quâ, quàm ſummâ pondus ariſtâ,
Quæ levis aſſiduis ſolibus uſta riget.
Verba [h] puellarum, foliis leviora caducis,
Irrita, quò viſum eſt, ventus & 3 aura ferunt.

Amiſſum [i] non flet, cùm ſola eſt 5 Gellia, patrem;
Siquis adeſt, 6 juſſæ proſiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quiſquis laudari, Gellia, quærit;
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Fœmina (crede mihi) varium & mutabile, [k] plorat,
Uberibus 7 ſemper lacrymis, ſemperque paratis,
In 8 ſtatione ſuâ atque expectantibus 9 illam,
Quo jubeat plorare modo.———

Authorum Loca.] a Cat. Carm. 71. b Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 290. c Ov. *Ep.* Phyll. *ad* Demoph. *v.* 51. d Ov. Am. *L.* 1. *El.* 8. *v.* 83. e Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 292. f Petron. Arb. Epigr. g Ov. *Ep.* Oenon. *ad* Parid. *v.* 109. h Ov. Am. *L.* 2. *El.* 16. *v.* 45. i Mart. *L.* 1. *Ep.* 34. k Juv. *Sat.* 6. *v.* 271.

Notæ.] 1 *Proverbialiter dictum de iis quæ cito excidunt animo.* 2 *Alicujus eſſe momenti.* 3 *Per quos jurat.* 4 *Fallacias.* 5 *Fictitium mulieris nomen.* 6 *Fictæ & ideo coactæ, ut Gutta his ex oculis non niſi juſſa cadit.* 7 *Copioſis.* 8 *Ut milites, qui in loco ſuo ſeu ſtatione parati ducis ſignum expectant.* 9 *Ejus imperium.*

CAP. LV.

Desidiâ corpus animusque corrumpitur.

[a] ARS quæcunque fuit, nullo exercente, refugit;
Et longo periit 1 arida facta situ.
Scilicet [b] ingenium longâ rubigine læsum
Torpet, & est multo, quàm fuit antè, minus.
Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.
Tempore qui longo steterit, malè curret; & inter
Carceribus 2 missos ultimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Siqua diu solitis cymba 3 vacavit aquis.
Cernis [c], ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ:
Et 4 mihi, si quis erat 5 ducendi carminis usus,
Deficit; estque minor factus inerte situ.
Et [d] veluti tellus flores, nec semina profert,
Ni sit continuo victa labore manûs;
Sic puer, ingenium si non exercitet; ipsum
Tempus & amittit; spem simul ingenii.

Plus [e] vigila semper, nec somno deditus esto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.
Segnitiem [f] fugito, quæ vitæ ignavia fertur:
Nam cùm animus languet; consumit inertia corpus.
Non [g] me, quid valeat naturâ fortior usus
Præterit 6, aut quantum neglectæ 7 defluat arti.

Desidia

Defidis aurigæ non 8 audit verbera currus;
Nec manus agnoſcit, quem non exercuit, arcum.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 14. *v.* 35. b Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 13. *v.* 21. c Ov. Pont. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 5. d Gul. Lilii Carm. *de* Morib. *v.* 31. e Cato. *L.* 1. *Diſt.* 2. f Cato. *L.* 3. *Diſt.* 4. g Claud. *de* Mallii. Theod. Conſul. *v.* 185.

Notæ.] 1 *Minor, ut aquæ vena exareſcens. Metaph.* 2 *Repagulis, loco unde equi certaturi emiſſi ſunt.* 3 *Caruerit.* 4 *Ovidii de ſe verba.* 5 *Componendi.* 6 *Latet, aut ignotum eſt.* 7 *Evaneſcat.* 8 *Obſequitur, ut Virg. nec audit currus babenas; & Hor. Equi frænati eſt auris in ore.*

CAP. LVI.

Garrula lingua nocet.

aEXigua eſt virtus præſtare ſilentia rebus;
At contrà gravis eſt culpa, tacenda loqui.
O benè, quod fruſtra captatis arbore pomis,
Garrulus 1 in mediâ Tantalus aret aquâ!
Quærit b aquas in aquis, & poma fugacia captat,
Scilicet hoc illi garrula lingua dedit.
Percunctatorem c fugito, nam garrulus idem eſt,
Et peperit miſero garrula lingua malum.
Delituit d bene paſta inter dealbata columbas,
Dum novit vafris pica ſilere dolis;
Mox oblita doli, linguâque effuſa loquaci;
Excidit incautâ garrulitate cibis.
Eſt e igitur ſemper lex in ſermone 2 tenenda;
Ne nos offendat improba garrulitas.
Quid f, de quoque viro, & cui dicas, ſæpe videto;
Quis g minor eſt autem quàm tacuiſſe labor?

Cùm

——— [h] Cùm candidus antè fuiſſes
Corve 3 loquax, ſubitò nigrantes verſus in alas.
Lingua fuit damno: linguâ faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.
Sic [i] tacitus paſci ſi poſſet 4 corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minùs, invidiæque.
Virtutem [k] primam eſſe puta, compeſcere linguam:
Proximus ille 5 Deo, qui ſcit ratione tacere;
Rumores [l] fuge, nè incipias novus author haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

Authorum Loca.] [a] Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 603. [b] Ov. Am. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 43. [c] Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *ver.* 69. [d] Æſopi. Fab. *Edit. Vulg. p.* 117. [e] Gul. Lilii. Carm. *de* Morib. *v.* 35. [f] Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *v.* 68. [g] Ov. Am. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 28. [h] Ov. Met. *L.* 2. *v.* 534, & 540. [i] Hor. *L.* 1. *Ep.* 17. *v.* 50. [k] Cato. *L.* 1. *Diſt.* 3. [l] Cato. *L.* 1. *Diſt.* 12.

Notæ.] 1 *Ad inferos detruſus, quòd Deorum arcana mortalibus prodiderit.* 2 *Obſervanda.* 3 *Ales Apollini ſacer; qui olim candidus, ſed in nigrum colorem à Deo mutatus; quia caræ ſibi Coronidis adulterium officiosè indicaverat.* 4 *Alludit ad Æſopi fabulam ſuprà memoratam.* 5 *Sapientia; Deus enim rarò, nec niſi neceſſaria loquitur.*

CAP. LVII.

Pax bello potior.

[a] QUis fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quàm ferus, & verè 1 ferreus, ille fuit;
Tunc cædes hominum generi, tum prœlia nata;
Tum brevior diræ mortis aperta via eſt.
Quippe [b] ubi non pax eſt, trepidant formidine belli;
Nec quiſquam preſſo vomere ſulcat humum.

Aut

Aut videt, aut metuit rus tum, quem non videt
Ceſſat iners rigido terra relicta ſitu. [hoſtem;.
Hoſtis [c] equo pollens, longéque volante ſagittâ,
Vicinam latè depopulatur humum.
Diffugiunt alii; nulliſque tuentibus agros
Incuſtoditæ diripiuntur opes.
Sed [d] mollis pax arva colit; pax candida primùm
Duxit araturos ſub juga dura boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ;
Funderet ut nato teſta 2 paterna merum.
Pace 3 bidens 3 vomerque vigent; at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
Cùm [e] libuit 4 Pacem placidis emittere tectis,
Libera per tutas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus 5 miſcebitur orbis;
Ni teneant rigidæ condita bella 6 ſeræ.
Bella [f] velint, 7 Martemque ferum rationis egentes;
Candida [g] pax homines, trux decet ira feras.

Nulla [h] ſalus bello; pacem nos poſcimus omnes.
[orbem:
Quippe [i] ubi fas verſum, atq; nefas: tot bella per
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos; 1 ſqualent abductis arva colonis;
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc movet 9 Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter ſe 10 legibus urbes
Arma ferunt: ſævit toto Mars impius orbe.
——— [k] Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt; pax una triumphis
Innumeris melior; pax cuſtodire ſalutem,

Et

Et cives 11 æquare potens.———

Authorum Loca] a Tib. *L.* 1. *El.* 11. *v.* 1. b Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 10. *v.* 67. c Id. *v.* 55. d Tib. *L.* 1. *v.* 45. e Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 121. f Mart. *L.* 6. *Ep.* 25. *v.* 7. g Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 502. h Virg. Æn. *L.* 11. *v.* 362. i Virg. Georg. *L.* 1. *v.* 505. k Sil. It. *L.* 11. *v.* 595.

Notæ.] 1 *Duri & ferrei ingenii.* 2 *In quâ vinum à patre conditum erat.* 3 *Inſtrumenta ruſtica.* 4 *Deo Jano, cujus templum pace clauſum erat, bello apertum.* 5 *Confundetur, ut Juv. Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo?* 6 *Quibus Janua templi Jani obſeratur.* 7 *Prælia. Metonym.* 8 *Inculta jacent.* 9 *Armeniæ fluvius, pro incolis. Metonym.* 10 *Fœderibus.* 11 *In æqualem cum aliis civibus ſtatum redigere; ne potentiores rempublicam opprimerent, quod fecerunt Marius, Sylla, & Cæſar.*

CAP. LVIII.

Poſt luctum gaudia.

[a]NUlla dies adeò eſt auſtralibus humida nimbis,
Non intermiſſis ut fluat imber aquis.
Non ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo
Miſta ferè duris utilis herba rubis.
Nil adeò fortuna gravis miſerabile feçit,
Ut minuant nullâ gaudia parte malum.
Durat [b] in extremum, triſtiſque noviſſima vitæ
Proſequitur fati, qui fuit antè, 1 tenor.
An [c] miſeros triſtis fortuna 2 tenaciter urget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Nam [d] ſolet interdum fieri placabile Numen,
Nube ſolet pulsâ candidus ire dies.
Sæpe [e] etenim vidi, cùm multis 3 lucibus antè,
Fuderit aſſiduas nubilus Auſter aquas;
Lumine cœleſti Solem fulſiſſe ſerenum:
Venit poſt pluvias, una ſerena, dies.

Tandem

Tandem [f] aliquid, pulsâ curarum nube, ſerenum
Vidi 4; fortunæ 5 verba dedique meæ.
Et [g] tibi, vexatæ per mille pericula vitæ
Extremo veniat 6 mollior hora die.

Nulla [h] ſors longa eſt: dolor ac voluptas
Invicem 7 cedunt; brevior voluptas;
Ima permutat brevis hora ſummis.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 4. *v.* 1. b Ov. *Ep.* Did. *ad Æn. v.* 111. c Ov. *Ep.* Briſ. *ad* Achill. *v.* 43. d Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 141. e Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 25. f Id. *v.* 5. g Prop. *L.* 2. *El.* 27. *v.* 15. h Sen. Thyeſt. *v.* 594.

Notæ.] 1 *Continuus ejuſdem fuit ordo.* 2 *Indefinenter.* 3 *Diebus.* 4 *Ovidii de ſe verba.* 5 *Deluſi malam fortunam ſubitâ lætitiâ.* 6 *Fœlicior.* 7 *Se viciſſim ſequuntur.*

CAP. LIX.

Principiis obſta.——

[mente;

[a] QUale ſit id quod amas, celeri circumſpice
Et tua læſuro ſubtrahe colla jugo.
Principiis obſta; ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluêre moras.
Tempore [b] nam tacitæ ſerpunt in viſcera flammæ,
Et mala radices altiùs arbor agit.
Quam [c] læſus fuerat, partem 1 Pæantius heros
Debuerat celeri præſecuiſſe manu.
Si [d] citò ſenſiſſes, quantum peccare parares,
Non tegeres vultus cortice, 2 Myrrha, tuos.
Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile, vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ,

Dum

Dum [e] novus eſt, potiùs cœpto pugnemus amori:
Flamma recens parva ſparſa reſidit aquâ.
Opprime [f], dum nova ſunt, ſubiti mala 3 Semina
Et tuus, incipiens ire, reſiſtat equus. [morbi;
Dum [g] licet, & 4 modici 5 tangunt præcordia 6
Si piget, in primo 7 limine ſiſte pedem. [motus,

Tu [h] nova, ſi poſſis, ſedare incendia tentes.
Ocyùs [i] ite viri, & 8 naſcentem extinguite flammam;
Nè ſeræ redeant, poſt aucta pericula, curæ.
Helleborum [k] fruſtrà 6, cùm jam cutis ægra 10 tumebit,
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo.
Quod [l] tibi ſuſpectum eſt, confeſtim 11 diſcute quid ſit:
Namque ſolent, primò quæ ſunt neglecta, nocere.

Nefando [m] caſto 12 pectore turba ocyùs;
Extingue 13 flammas; neve te diræ ſpei
Præbe obſequentem: Quiſquis in primo obſtitit,
Repulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recuſat ferre, quod ſubît 3 jugum.

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 89. b Id. *v.* 105. c Id. *v.* 111. d Id. *v.* 99. e Ov. *Ep.* Helen. *ad* Par. *v.* 189. f Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 81. g Id. *v.* 79. h Id. *v.* 117. i Sil. Ital. *L.* 1. *v.* 649. k Perſ. Sat. 3. *v.* 63. l C ato. *L. Diſt. ib.* m Sen. Hippol. *v.* 129.

Notæ.] 1 *Philoctetes Pæantis filius lapſu ſagittæ Herculis (Hydræ felle tinctæ) in pede vulnere fere immedicabili affectus.* 2 *Filia Cynaræ Cypriorum regis, ob nefandum cujus amorem in arbuſculam ſui nominis mutata eſt.* 3 *Principia. Metaph.* 4 *Parvi.* 5 *Movent.* 6 *Affectus.* 7 *In introitu, initio. Metaph.* 8 *Orientem.* 9 *Pro omni remedio poſitum. Synecd.* 10 *Hydrope.* 11 *Examina.* 12 *Impias cogitationes.* 13 *Amoris. Metaph.*

CAP.

CAP. LX.

blica utilitas autori honores divinos parat.

Rede mihi, utilitas magnos homineſque Deoſque
Efficit; auxiliis 1 quoque favente ſuis.
nquid [b] erit, quare ſolito 2 dignemur honore
umina; ſi demas velle juvare Deos?
er oranti ſurdas ſi præbeat aures,
ictima 3 pro templo cur cadit icta Jovis?
pacem nullam Pontus mihi præſtat eunti,
rita 5 Neptuno cur ego dona feram?
a laborantis ſi fallat vota coloni;
ccipiet gravidæ cur ſuis exta 6 Ceres?
dabit intonſo jugulum caper hoſtia 7 Baccho;
luſta ſub adducto ſi pede nulla fluant.
ar 9 ut imperii 8 moderetur fræna precamur;
am bene quòd patriæ conſulit ille ſuæ.

—— [c] Cæſar 9 magnus ad altum
nina 10 Euphratem 11 bello; victorque volentes
populos dat jura, viamque affectat 12 Olympo.

hrum [d] eminere eſt inter illuſtres viros;
ſulere patriæ; parcere afflictis; ſerâ
le abſtinere; tempus atque iræ dare,
i quietem, ſæculo pacem ſuo.
: ſumma virtus, petitur hâc cœlum viâ.
ille patriæ primus Auguſtus parens

Com-

Complexus 13 aſtra eſt, colitur & templis Deus.

Authorum Loca.] a Ov. *Pon. L.* 2. *El.* 9. *v.* 35. b Id. *v.* 23. c Virg. *Georg. L.* 4 *v.* 560. d Sen. *Octav. v.* 463.

Notæ.] 1 *Singulis utilitati ſuæ proſpicientibus.* 2 *Digna exiſtimemus.* 3 *Ad templum.* 4 *Maris tranquillitatem. Metaph.* 5 *Deo maris.* 6 *Frugum Dea.* 7 *Vini Deo.* 8 *Tractet & adminiſtret rempublicam.* 9 *Auguſtus Cæſar optimus Imperator.* 10 *Fulminis more barbaras gentes proſternit.* 11 *Meſopotamiæ fluvium.* 12 *Cælo, ad divinos honores aſpirat.* 13 *Deus factus.*

CAP. LXI.

Omnia vincit amor.

[a]OMnia vincit amor, & nos cedamus amori:
Sanguineus [b] per 1 te Mars quoque mitis erit.
Tu poſt extinctos, debellatoſque Gigantes,
Excutis irato 2 tela triſulca Jovi.
Tu cogis rapidas affectus diſcere tigres,
Per te blandus amans redditur ipſe leo.
Nec memorare pudet tali me 3 vulnere victum,
Subditus his 3 flammis Jupiter ipſe fuit.
Quem [c] non 4 mille feræ, quem non 5 Stheneleïus hoſtis,
Non potuit Juno vincere, vicit Amor.
Inter [d] Iöniacas calathum tenuiſſe puellas
Diceris, & 6 Dominæ pertimuiſſe minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum,
Raſilibus 7 calathis impoſuiſſe manum.
Plus [e] tibi, quàm Juno, nocuit Venus; illa premendo
Suſtulit; hæc humili ſub pede colla tenet.
Quicquid [f] Amor juſſit, non eſt contemnere tutum;
Regnat, & in dominos jus habet ille Deos.
Ille [g] facit molles animos Deus, ille ferocem
Contudit, & dominæ miſit in arbitrium.

Arme-

Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit; & indomitis mollia corda dedit.

Omne [h] adeò genus in terris hominumque, ferarumq;
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt; amor omnibus idem.
Improbe [i] amor, quid non mortalia pectora cogis?

Hic [k] volucer 8 omni regnat in terrâ potens;
Potensque totâ mente dominatur Deus.
Ipsumque flammis torret indomitis Jovem.
Gradivus 9 istas belliger sensit 3 faces:
Opifex 10 trisulci fulminis sensit Deus,
Et, qui furentes semper 11 Ætnæis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet.
Ipsumque 12 Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit sagittâ certior missâ 13 Puer;
Volitatque cœlo pariter & terræ gravis.

Authorum Loca.] a Virg. Buc. Ecl. 10. *v.* 69. b Corn. Gall. *El.* 5. *v.* 142, & 45. c Ov. *Ep.* Deian. *ad* Herc. *v.* 27. d Id. *v.* 75. e Id. *v.* 13. f Ov. *Ep.* Phæd. *ad* Hippol. *v.* 11. g Tib. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 13. h Virg. Georg. *L.* 3. *v.* 242. i Virg. Æn. *L.* 4. *v.* 412. k Sen. Hip. *v.* 185.

Notæ.] 1 *O Cupido amoris Deus.* 2 *Fulmina.* 3 *Amoris. Metaph.* 4 *Herculem.* 5 *Euryßheus Sthenelî filius clam Herculi inimicus.* 6 *Omphales amicæ tuæ.* 7 *Politis.* 8 *Cupido alatus.* 9 *Mars.* 10 *Vulcanus, fulminum fabricator.* 11 *Ætna mons est Siciliæ semper ardens, Vulcani officina.* 12 *Phœbum sagittandi peritissimum: qui de se ait apud Ovid. Metam.* Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta Certior, in vacuo quæ pectore vulnera fecit. 13 *Cupido.*

CAP. LXII.

Obſequium molliendo vincit.

[a]DExtera præcipuè capit indulgentia mentes:
Aſperitas odium, ſævaque verba movent.
Odimus accipitrem, quia ſemper vivit in armis,
Et pavidum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidiis hominum, quia mitis, hirundo;
Quaſque colit, turres 1 Chaönis ales habet.
Eſte procul lites, & amaræ prœlia linguæ:
Dulcibus eſt verbis mollis alendus amor.
Flectitur [b] obſequio curvatus ab arbore ramus;
Franges, ſi vires experiere tuas.
Obſequio tranantur aquæ; nec vincere poſſis
Flumina; ſi contrà, quàm rapit unda, nates.
Obſequium tigreſque domat, Numidaſque leones;
Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.
Cùm [c] furor in 2 curſu eſt, currenti cede furori;
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cùm deſcendere poſſit,
Pugnat in adverſas ire natator aquas.
Ergo [d] nè dubita blandas adhibere querelas:
Vincuntur molli pectora dura prece.

Quod [e] violenta nequit, peragit tranquilla poteſtas;
Acrior [f] admonitu eſt, irritaturque retenta,
Et creſcit rabies, 3 remoraminaquè ipſa nocebunt.
Sic ego torrentem, quà nil obſtabat eunti,
Leniùs, & modico ſtrepitu, decurrere vidi:
At, quacunque trabes, 4 obſtructaque ſaxa tenebant,
Spumeus, & fervens, & ab 5 obice ſævior ibat.

Cede

[g] repugnanti, cedendo victor abibis:
n [h] ſuperare potes, interdum vince ferendo:
ma enim morum ſemper patientia virtus.
ere [i] cùm poſſis, interdum cede ſodali:
quio quoniam dulces vincuntur amici.
[k] locum læſus fortunæ, cede potenti:
ere 6 qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

borum Loca.] a Ov. Ar. *Diſt.* 34. k Id. *L.* 4. *Diſt.* 39.
. 2. *v.* 145. b Id. *v.* 179. Notæ.] 1 *Columba è regione*
Rem. Am. *L.* 1. *v.* 119. *Chaoniâ.* 2 *In primo impetu.* 3 *Ipſa*
L. 3. *El.* 4. *v.* 75. c Claud. *moderantium conſilia.* 4 *Moles la-*
nimi.) f Ov. Met. *L.* 3. *v.* *pidum congeſtæ.* 5 *Impedimento.* 6
g Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* *Aliquis ex potentioribus.*
a Cato. *L.* 1. *Diſt.* 38. i Id.

CAP. LXIII.

Omnia divitibus linquenda.

AUd ullas portabis opes 1 Acherontis ad undas;
Nudus ab infernâ, ſtulte, vehêre 2 rate.
or cum victis pariter miſcebitur umbris:
onſule cum 3 Mario, capte 4 Jugurtha, ſedes.
us Dulichio non diſtat 5 Crœſus ab 6 Iro:
ſil [b] feret ad manes divitis umbra ſuos.
cùm permenſo defunctus tempore lucis,
Judus 2 Letheâ cogeris ire rate.

c [d] & perpetuus nulli datur uſus, & hæres
redem alterius, velut unda ſupervenit undam.
d vici proſunt, aut horrea? quidve 7 Calabris
ibus adjecti 7 Lucani, ſi metit 8 Orcus

Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Cùm [e] poſt emeritam mortalia ſæcula vitam
Deſcendunt; ibi nulla manent diſcrimina fati,
Nullus honos; vanoque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens. ——[f] Fugit hora, rapitque
Tartareus torrens, & tecum ferre ſub umbras,
Si qua animo placuere, negat. [g] Quid regia quondam
Præfulgens ebore, & poſſeſſa mapalia ſoli
Jam proſunt? Quid rapta juvant? quid gentibus auri
Nunquam extincta ſitis? modò quem fortuna fovendo
Congeſtis opibus, doniſque referſit opimis,
Nudum Tartareâ portavit navita cymbâ.
——— [h] Crœſi mox advolat umbra
Dives apud ſuperos, ſed mors æquârat egenis.

Cedes [i] coëmptis ſaltibus, & domo,
Villâque, 9 flavus quam Tiberis lavat,
Cedes: & extructis in altum
Divitiis potietur hæres.
Linquenda [k] tellus, & domus, & placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter inviſas 10 cupreſſos,
Ulla 11 brevem dominum ſequetur.

Authorum Loca.] [a] Prop. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 35. [b] Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 14. *v.* 12. c Tib. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 9. d Hor. *L.* 2. *Ep.* 2. *v.* 175. e E. Claud. *(ſi memini.)* f Sil. It. *L.* 15. *v.* 64. g Id. *L.* 6. *v.* 263. h Id. *L.* 13. *v.* 776. i Hor. *L.* 2. *Od.* 3. *v.* 17. k Id. *Od.* 14. *v.* 21.

Notæ.] 1 *Fluvii apud inferos.* 2 *Charonti, Cymbâ, quâ defunctorum animas trans Styga vehit.* 3 *Nobili Romanorum Duci qui Jugurtham prælio victum cepit.* 4 *Rex Numidiæ.* 5 *Rex Lydiæ ditiſſimus.* 6 *Paupere.* 7 *Calabria & Lucania ſunt Italiæ provinciæ ſaltibus celeberrimæ.* 8 *Mors.* 9 *Arenis flavus.* 10 *Cupreſſus enim Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita.* 11 *Brevis ævi.*

CAP.

CAP. LXIV.

Opes non reddunt beatum.

NE tibi tu cupias totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido ruſticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quicquid felicibus undis
Naſcitur Eoi quà maris unda rubet.
Nam [b] grave quid prodeſt pondus mihi divitis auri?
Arvaque ſi findant pinguia mille greges?
Quidve domus prodeſt 1 Phrygiis innixa columnis,
Tænare 2, ſive tuis; ſive, 3 Caryſte, tuis?
Et nemora in domibus, ſacros imitantia lucos?
Auratæque trabes, marmoreumque 4 ſolum?
Quidve in 5 Erythræo legitur quæ littore concha?
Tinctaque Sidonio 6 murice lana juvat?
Et quæ prætereà populus miratur? in illis
Invidia eſt; falsò plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque levantur,
Nam fortuna ſuâ tempora lege regit.
Non [c] ergo inviſo pectus mihi carpitur auro;
Nec bibit è 7 gemmâ divite noſtra ſitis.
Nec mihi mille jugis 8 Campania pinguis aratur;
Nec miſer æra paro clade, 9 Corynthe, tuâ.

Quod [d] ſatis eſt, cui contingit, nihil amplius optet;
Non domus, aut fundus, non æris acervus & auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas,———

Non [e] poſſidentem multa vocaveris
Rectè beatum; rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati.

Non [f] enim gazæ, neque conſularis
Summovet 10 lictor miſeros tumultus
Mentis: & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensâ tenui ſalinum;
Nec leves ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Autherum Loca.] a Tib. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 13. b Tib. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 11. c Prop. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 25. d Hor. *L.* 1. *Ep.* 2. *v.* 46. e Id. *L.* 4. *Od.* 9. *v.* 45. f Id. *L.* 2. *Od.* 16. *v.* 9.

Notæ.] 1 *E marmore Phrygiæ.* 2 *Laconiæ promontorium marmore præclarum.* 3 *Oppidum Eubœæ Inſulæ marmore maculoſo celebre.* 4 *Pavimentum.* 5 *Rubri maris littore, in quo conchæ gemmas generantes naſcuntur.* 6 *Purpura, murex enim piſcis, è cujus ſucco purpurâ tingebatur, apud Sidona Phœniciæ civitatem.* 7 *E gemmeo poculo.* 8 *Italiæ regio feraciſſima.* 9 *Æs Corinthiacum pretioſiſſimum.* 10 *Publicus miniſter qui turbam Conſuli obſtantem ſummovere ſolebat.*

CAP.

CAP. LXV.

Nil manet æternum.

[a]CUnctis ſtare diu Parcarum lege negatur,
Magna repente ruunt: ſumma cadunt ſubito.
Omnia [b] tempus edax depaſcitur, omnia carpit;
Omnia ſede movet, nil ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt; profugum mare littora ſiccat:
Subſidunt montes; & juga celſa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
Ardebit flammis tota repente ſuis.
Omnia mors poſcit: lex eſt, non pœna, perire:
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.
Et [c] querimur, citò ſi noſtræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Fata trahunt homines, fatis urgentibus, urbes,
Et quodcunque vides auferet 1 una dies.

Nil [d] equidem durare diu ſub imagine eâdem
Crediderim; ſic ad 2 ferrum veniſtis ab 2 auro
Sæcula; ſic toties verſa es, fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum: vidi factas ex æquore terras.
——— [e] Sic tempore verti
Cernimus, atque illas aſſumere robora gentes;
Concidere has: ſic magna fuit 3 cenſuque, vireſque,
Perque 4 decem potuit tantum dare 5 ſanguinis annos;
Nunc 6 humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis, tumulos oſtendit avorum.

Et [f] querimur, 7 genus infelix, humana labare
Membra ævo; cùm regna 8 palam moriuntur, & urbes?

Authorum Loca.] a Claud. Ep'gr. b Sen. *Ep. de* Qualit. Temp. c Sannazar. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 23, & 31. d Ov. Met. *L.* 15. *v.* 259. e Id. *v.* 420. f Sannaz. *de* Part. Virg. *L.* 2. *v.* 220.

Notæ.] 1 *Suprema Mundi dies.* 2 *Ad ferreum ſæculum ab auro.* 3 *Opibus & incolis.* 4 *In quibus Troja à Græcis oppugnata & expugnata fuit.* 5 *Præliis exhauſti.* 6 *Sic Ovid.* Jam ſeges eſt ubi Troja fuit, *&c.* 7 *Nos homunciones.* 8 *In exitium ruunt. Metaph.*

CAP. LXVI.

Conſtat parvo fames, magno faſtidium.

OMnia quæ miſeras poſſunt finire querelas,
In 1 promptu voluit 2 candidus eſſe Deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis
Pugnantis 3 ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit, & riget Euro:
Cùm calidus tepido conſonat igne focus.
Quod ſatiare poteſt, dives natura miniſtrat;
Quod docet infrænis gloria, fine caret.
Meſſis [b] erant primis virides mortalibus herbæ;
Quas tellus, nullo 4 ſolicitante, dabat.
Et modò carpebant vivaci ceſpite gramen;
Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.
Poſtmodò glans nata eſt; bene erat jam glande repertâ;
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Pro [c] domibus frondes nôrant, pro frugibus herbas:
Nectar erat, palmis hauſta duabus aqua.
Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

Sylva

Sylva fuit domus his, cibus herba, cubilia frondes:
Contentique [d] cibis, nullo 4 cogente, creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant.
Pocula [e] non nôrant succis mulcere 5 Lyæi,
Fonte sitim, & purâ soliti defendere lymphâ.
——— [f] O prodiga rerum
Luxuriès, nunquam parvo contenta paratu!
Et quæsitorum terrâ, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames; & lautæ gloria mensæ!
Discite, quam parvo liceat producere vitam;
Et quantum natura petat. Non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus 6 Consule 6 Bacchus,
Non auro 7 myrrhâque bibunt, sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluviusque 8 Cereque.
Vivitur [g] exiguo melius; Natura beatis
Omnibus esse dedit, siquis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu;
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret;
Non ventus quateret puppes; non machina muros.

Authorum Loca.] a Petron. Fragmen. b Ov. Fast. *L.* 4. *v.* 393. c Ov. Fast. *L.* 2. *v.* 293. d Ov. Met. *L.* 1. *v.* 103. e Sil. It. *L.* 7. *v.* 170. f Lucan. *L.* 4. *v.* 374. g Claud. *in* Ruf. *Lib.* 1. *v.* 215.

Notæ.] 1 *Præsto.* 2 *Benignus.* 3 *Jejuni.* 4 *Agros colente.* 5 *Vino, succo uvæ temperare; nam Lyæus sive Bacchus Deus Vini.* 6 *Vinum vetus; nam ut annos Consulis nomine, sic vini ævum, anno, quo in dolium reconditum erat, signabant veteres.* 7 *Poculis ex auro & myrrhâ. Synecd.* 8 *Frumentum, cujus Ceres Dea. Metonym.*

CAP. LXVII.

Nil niſi nomen amicitia.

[a]ILlud amicitiæ ſanctum ac venerabile nomen,
Re jam pro vili ſub pedibuſque jacet.
Tuta [b] frequenſque via eſt, per amici fallere nomen;
Tuta frequenſque licèt ſit via, crimen habet.
Turpe [c] quidem dictu, ſed (ſi modò vera fatemur)
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura 1 quid expediat prius eſt, quàm quid ſit honeſtum:
Et cum fortunâ 2 ſtatque caditque fides.
Nil niſi quod prodeſt charum eſt, i, detrahe menti
Spem fructûs avidæ, nemo petendus erit.
Reſpicit antiquum quis, lapſis rebus, amicum?
Fomentiſque juvat 3 vulnera cruda ſuis?
Quis [d] vult ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & alloquii parte levare ſui?
Quis [e] largitur opes veteri fidoque ſodali?
Heu colit 4 ingratas pauper amicitias!
Illud [f] amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat 5, & in quæſtu pro meretrice ſedet.
Cùm [g] fortuna manet, vultum ſervatis amici;
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *Lib.* 1. *El.* 7. *v.* 25. b Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 587. c Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 71, & 15, & 93. d Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 7. *v.* 17. e Mart. *L.* 5. *Ep.* 19. f Ov. Pont. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 19. g Petron. Metr. 8.

Notæ.] 1 *Quid utile eſt.* 2 *Mutatur cum mutatâ fortunâ.* 3 *Quit miſerias alloquio, conſilio, & auxilio ſublevat. Alleg.* 4 *Nihil fructûs allaturas.* 5 *Quaſi vile ſcortum eſſet.*

CAP.

CAP. LXVIII.

Nummi apud amicos reponendi.

[a]HOc habeo, quodcunq; dedi; sunt cætera sortis,
Cætera prætereunt more fluentis aquæ.
Callidus [b] effractâ nummos fur auferet arcâ;
Prosternit 1 patrios impia flamma 1 lares.
Debitor usuram pariter, 2 Sortemque negabit;
Non reddet sterilis semina jacta seges;
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra 3 fortunam est, quicquid donatur amicis
Quas dederis, solas semper habebis, opes.
Non [c] leviora datis grati nam dona remittunt,
Fœnore cum duplici hæc semina reddet ager.
Cuncta [d] manus avidi fugient hæredis, 4 amico
Quæ dederis animo.

Hic [e] non 5 divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes; sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat, populis undare 6 Penates;
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps 7 illa manus 8 fluvios superabat Iberos,
Aurea dona vomens.———

Autborum Loca.] a Sen. *de* Benef. *L.* 6. *cap.* 3. b Mart. *L.* 5. *Ep.* 43. c Ov. Met. *L.* 13. *v.* 702. d Hor. *L.* 4. *Od.* 7. *v.* 19. e Claud. *in* Conf. Prob. *v.* 43.

Notæ.] 1 *Domos à patre relictas.* 2 *Primam pecuniam quæ fœnore ponitur.* 3 *Extra casum, omnemque fortunæ aleam.* 4 *Benigno, liberali.* 5 *Pretbus.* 6 *Probi domum.* 7 *Prona & prompta ad dona effundenda.* 8 *Tagum aliosque arenis aureis celeberrimos.*

CAP. LXIX.

Amarum ſit ſalubre.

PErfer, & obdura; dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem.
Dura [b] aliquis præcepta vocet bona; dura fatemur
Eſſe: ſed ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi ſuccos, quamvis invitus, amaros
Æger; & oranti menſa negata mihi.
Cogimur [c] à gratis animum ſuſpendere rebus:
Atque, ut vivamus, 1 vivere deſinimus.
Ut [d] corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec ſitiens ora levabis aquâ.
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
Et pretium pars 2 hæc corpore majus habet.
Dulcia [e] non ferimus, ſucco 3 renovemur amaro;
Quædam ferre juvat, nè mala plura feras.

Vulnera [f] dum ſanes, dolor eſt medicina doloris;
Corpora [g] vix ferro quædam ſanantur acuto.

Cuncta [h] priùs tentanda; ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt; ne pars 4 ſincera 5 trahatur.
Ulcera poſſeſſis altè ſuffuſa medullis,
Non 6 leviore manu, ferro ſanantur & igni:
Ne 7 coëat fruſtra, mox eruptura cicatrix.
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto ſanguine venis
Exunder & fons ille mali; truncantur & artus;

Ut

Ut liceat reliquis ſecurum degere membris.

Autborum Loca.] a Ov. Am. *L.* 3. *El.* 10. *v.* 7. b Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 225. c Cor. Gall. *El.* 1. *v.* 155. d Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 229. e Ov. Art. Am. *L.* 3. *v.* 583. f Cato. *Lib.* 4. *Diſt.* 40. g Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 131. h Ov. Met. *L.* 1. *v.* 190. i Claud. *in* Eutr. *L.* 2. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Amara multa morte graviora paſſi*; *nam* Non eſt vivere, ſed valere, vita. *Mart.* 2 *Animus.* 3 *Reficimur.* 4 *Sana & integra.* 5 *In corruptionem ducatur.* 6 *Tactu partente.* 7 *Externis labris vulneris ſupremiſque junctis.* 8 *Sceturigo ſubjiciens ſeſe ſemper. Metaph.*

CAP. LXX.

Solamen miſeris ſocias habuiſſe doloris.

[a] NAufragus ejectâ, nudus rate, quærit eodem
Percuſſum 1 telo; cui ſua fata legat.
Grandine qui ſegetes, & totum perdidit 2 annum;
In 3 ſimili deflet triſtia fata ſinu.
Funera conciliant miſeros; orbique parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confuſis feriemus ſidera verbis:
Et fama eſt junctas fortiùs ire preces.

[b] Flenti Theſeïus heros
Siſte modum dixit! neque enim fortuna querenda
Sola tua eſt, ſimiles aliorum reſpice caſus:
Mitiùs iſta feres. [c] Luctus aliena levare
Damna valent noſtros.———
Everſo [d] juvat orbe mori, ſolatia letho
Exitium commune dabit.———

Dulce

Dulce [e] mœrenti populus dolentûm;
Dulce, lamentis reſonare gentes.
Leniùs luctus lacrymæque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Semper, ah, ſemper dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata 4 mitti:
Seque non ſolum 5 patuiſſe pœnæ:
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.

Dulce [f] in immenſis poſito ruinis,
Neminem lætos habuiſſe vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui ſecans fluctum rate ſingulari,
Nudus in portus cecidit petitos.
Æquior caſum tulit, & procellas;
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit: tabulâque litus
Naufragâ ſpargi; mare cùm coactis
Fluctibus 6 Corus prohibet reverti.
Queſtus eſt Hellen cecidiſſe 7 Phryxus,
Cùm gregis 8 ductor radiante villo
Aureo fratrem ſimul & ſororem
Suſtulit tergo, medioque 9 jactum
Fecit in ponto. Tenuit querelas
Et 10 vir, & Pyrrhe, mare cùm viderent;
Et nihil præter mare cùm viderent;
Unici terris homines relicti.

——— [f] Abeant queſtus;
Diſcede timor: vitæ eſt avidus

Quiſ

Quiſquis non vult, mundo ſecum
Pereunte, mori.———

Authorum Loca.] a Petron. Fragm. b Ov. Met. *L.* 15. *v.* 492. c Id. *v.* 547. d Claud. *in* Ruf. *L.* 2. *v.* 19. e Sen. Troad. *v.* 1012, & 1027. f Sen. Thyeſt. *v.* 879.

Notæ.] 1 *Eodem caſu. Metaph.* 2 *Meſſem, cui totius anni laborem impendit.* 3 *Simile damnum lugentis.* 4 *Communicari.* 5 *Obnoxium fuiſſe.* 6 *Ventus.* 7 *Qui mare tergo arietis transfretavit, unde Helle ſoror eadem merſa erat.* 8 *Aries.* 9 *Helles jacturam.* 10 *Maritus Deucalion.*

CAP. LXXI.

Ceſſandum emeritis.

[a]Feſſus in acceptos miles deducitur agros;
Tutaque depoſito poſcitur enſe 1 rudis.
Longaque ſubductam celant navalia 2 pinum;
Mittitur in ſaltus carcere liber equus.
Miles [b] depoſitis annoſus ſecubat armis;
Grandævique negant ducere aratra boves.
Putris & in vacuâ requieſcit navis arenâ,
Et vetus in templo bellica parma vacat.
In [c] cava ducuntur quaſſæ navalia puppes,
Ne temerè in mediis diſſolüentur aquis.
Nè cadat, & multas palmas inhoneſtet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus.
Miles, ut 3 emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, 4 Lares.
Sic igitur, tardâ virus minuente ſenectâ,
Me quoque donari jam rude, tempus erat.

Poſt [d] multa virtus opera 5 laxari ſolet.

Vixi

Vixi [4] puellis 6 nuper 5 idoneus;
Et 8 militavi non ſine gloriâ;
Nunc 9 arma 10, 11 defunctumque bello
Barbiton hic 12 paries habebit.

Authorum Loca.] a Ov. Am. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 19. b Prop. *L.* 2. *El.* 19. *v.* 41. c Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 3. *v.* 17. d Sen. Herc. F. *v.* 476. e Hor. *L.* 3. *Od.* 26. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Miſſio à Militiâ; rudis enim virga erat, qua gladiatores, miſſione impetratâ, donabantur.* 2 *Navem è pinu factam. Metonym.* 3 *Milites emeriti dicuntur, qui militarem ætatem compleverunt.* 4 *Milites militia defuncti, ſolebant, arma in deorum Domeſticorum templis ſuſpendere, qui Lares appellantur.* 5 *Recreari.* 6 *Muſis, quæ Poëticæ Deæ ſunt, & puellæ.* 7 *Cùm juvenis eſſem.* 8 *Caſtris Muſarum merui. Metaph.* 9 *Cùm ſenex emeritus ſum.* 10 *Libros, lyram, ſupellectilem Poëticam. Metaph.* 11 *Lyram militiâ hac defunctam.* 12 *Cui ſuſpenderat.*

CAP. LXXII.

Conjunctio firmat.

[a] HOrtor ego, ut pariter binos habeatis amicos,
Fortior eſt, plures ſiquis habere poteſt.
Secta bipartitò cùm mens 1 diſcurrit utroque;
Alterius vires ſubtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur 2 flumina rivos;
Caſſaque, ſeducto ſtipite, flamma perit.
Non ſatis una tenet ceratas anchora puppes:
Non ſatis eſt liquidis unicus hamus aquis.
Qui ſibi jampridem ſolatia bina paravit,
Jampridem ſummâ victor in arce fuit.
Sic [b] meliùs duo defendunt retinacula navem;
Et [c] quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.

Tu

Tu tantùm numero pugna, diſperſaque in unum
Contrahe, de multis grandis acervus erit.
Sic [d] igitur nunquam 3 deſùnt conſulta duobus.
Nec [e] caret effectu, quod voluere duo.

Sive [f] res bellis 4 agitanda, ſive
Pace, collatas ſociare vires;
Alta centenis meliùs recumbunt
Templa columnis.

Inter errantem ſcopulos carinam,
Certiùs plures 5 docuere ſtellæ:
Fortiùs proram gemino revincit
Anchora morſu.

Gliſcit 6 æterno ſociale 7 nexu
Robur.———

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 41. b Prop. *L.* 2. *El.* 22. *v.* 41. c Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 24, & *infra. v.* 423. d Sil. It. *(ſi memini.)* e Ov. Am. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 16. f Caſim. Sarbiev. Lyric. *L.* 4. *Od.* 36. *v.* 21.

Notæ.] 1 *In utramque partem vagatur, non adhærens rei uni.* 2 *Quod de Gynde fluvio, (à Cyro in multos alveos diviſo) teſtatur Sen. L.* 3 *de Ira.* 3 *Deficiunt.* 4 *Moliendo.* 5 *Duxere.* 6 *Creſcit.* 7 *Conjunctione, quam nil valet diſſolvere.*

CAP.

CAP. LXXIII.

Excitat ignavos ſpes famæ.

[a]FUlgida non parvas animo dat gloria vires;
Et fœcunda facit pectora laudis amor.
Tum [b] bene fortis equus reſerato 1 carcere currit,
Cùm quos prætereat, quoſve ſequatur habet.
Plauſibus [c] ex ipſis populi, lætoque favore,
Ingenium 2 quodvis incaluiſſe poteſt.
Tamque ego ſumpſiſſem tali clamore vigorem,
Quàm rudis auditâ miles ad arma tubâ.
Excitat [d] auditor ſtudium; laudataque virtus
Creſcit, & immenſum gloria 3 calcar habet.
Scribentem [e] juvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens 4 pectore fervet opus.
Utque ictus ruit acer equus calcaribus armos;
Ingenio [f] ſtimulos 5 ſubdere famà ſolet.
Gloria [g] vos acuat; vos, ut recitata probentur
Carmina, 6 Pieriis invigilate choris.
Laudatas [h] oſtendit 7 avis Junonia pennas,
Si tacitus ſpectes, illa recondit 8 opes.
Quadrupedes 9, inter rapidi 10 certamina curſûs,
Depexæque jubæ plauſaque colla juvant.
Delectant [i] etiam 11 caſtas præconia formæ;
Virginibus curæ, grataque fama ſua eſt.

Laudatas

Laudatas [k] homini volucris Junonia pennas
Explicat, & formâ muta ſuperbit avis.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 13. *v.* 37. b Ov. Art. Am. *L.* 3 *v.* 595. c Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 29. d Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 2. *v.* 25. e Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 9. *v.* 21. f Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 1. *v.* 76. g Ov. Pon. *L.* 1 *El.* 5. *ver.* 57. h Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 629. i Id. *v.* 623. k Ov. Med. Fac. *v.* 33.

Notæ.] 1 *Loco unde equi curſum incipiunt.* 2 *Utcunque tardum & ſtupidum.* 3 *Incitamentum. Metaph.* 4 *Cum componendi calore.* 5 *Tanquam ſtimulis excitare.* 6 *Curam carminibus componendis impendite, Pierides enim Muſæ.* 7 *Pavo, Junoni ſacer.* 8 *Pulchras pennas.* 9 *Equos.* 10 *In ludis Olympicis.* 11 *Feminas.*

CAP. LXXIV.

Heroës citâ maturi.

[a] INgenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit; & ignavæ fert malè damna moræ.
Parvus erat, manibuſque duos 1 Tirynthius angues
Preſſit: & in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Cùm timuit 2 thyrſos India victa tuos?
Parcite natales, timidi, numerare Deorum,
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Cæſar [b] & ipſe ducem primis profitetur in armis;
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Quid [c] numeras annos? vixi maturior annis:
Acta ſenem faciunt: hæc numeranda tibi.
His ævum fuit implendum, non ſegnibus annis:
Mors palmas numerans me putet eſſe ſenem.

Præterit [d] ipſe ſuos animis 3 Germanicus annos,
Ante [e] annos, animumq; gerens, mentemq; virilem.

Scilicet

Scilicet [f] ingenium, & rerum prudentia velox
Ante 4 pilos venit his; dicenda tacendaq; callent;
Queis [g] promptum teneris immania bella lacertis
Moliri, regimenque rudi depoſcere in ævo.
Si [h] titulos annoſque leves, numerare velimus;
Facta 5 premunt annos; [i] Annos tranſcendere factis
Molitur; longumque putat pubeſcere bello.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 185, *& ſupra.* b Id. *v.* 181. c Pedon. *El. in* obitum Druſi. *v.* 447. d Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 73. e Virg. Æn. *L.* 9. *v.* 311. f Perſ. Sat. 4. *v.* 4. g Sil. Ital. *L.* 15. *v.* 16. h Ov. Met. *L.* 7. *v.* 448. i Sil. It. *Lib.* 4. *v.* 428.

Notæ.] 1 *Hercules, à Tirynthâ urbe Argis vicinâ, in quâ nutritus erat.* 2 *Potentiam tuam & vires, nam Thyrſus Bacchi haſta frondibus veſtita.* 3 *Cæſar à victâ Germaniâ ita dictus.* 4 *Ante barbam.* 5 *Præponderant, id eſt facta annis ſunt plura.*

CAP. LXXV.

Forma bonum fragile eſt.

[a] O Formoſe puer, nimium ne crede colori,
Formæ [b] non ullam fata dedere moram.
Forma [c] bonum fragile eſt; quantumque accedit ad annos,
Fit minor; & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec violæ ſemper, nec hiantia lilia florent;
Et riget amiſsâ ſpina relicta roſâ.
Et tibi jam cani venient, formoſe, capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Certus [d] amor morum eſt: formam populabitur ætas;
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos ſpeculum vidiſſe pigebit:
Et veniet rugis altera cauſa, dolor.

Iſta

Iſta [e] decens facies longis vitiabitur annis:
Rugaque in antiquâ fronte ſenilis erit.
Injicietque manum formæ damnoſa ſenectus:
Quæ, ſtrepitum paſſu non faciente, venit.
Cùmque aliquis dicet; Fuit hæc formoſa, dolebis;
Et ſpeculum 1 mendax eſſe querêre tuum.

Flebat [f] ut in ſpeculo rugas conſpexit aniles
Tyndaris 2, & ſecum cur ſit bis 3 rapta requirit.
Ergo [g] age, fallaci timidè confide figuræ.

Anceps [h] forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non ſic prata novo vere decentia
Æſtatis calidæ deſpoliat vapor:
Sævit 4 ſolſtitio cùm medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis,
Langueſcunt ſolio lilia pallido;
Et gratæ capiti deficiunt roſæ:
Ut 5 fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur: nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax; quis ſapiens bono
Confidat fragili? ———
Ut [i] alta ſylvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inveſtit tepor;
At cùm ſolutos expulit Boreas Notos,
Et ſæva totas bruma decuſſit comas,
Deforme ſolis aſpicis truncis nemus:

Sic

Sic noſtra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid ſemper, & fulget minus;
Maliſque minus eſt; quicquid in vultu fuit,
Olim petitum.———

Authorum Loca.] a Virg. Bucol. *Ecl.* 2. *v.* 17. b Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 32. c Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 113. d Ov. Medic. Faciei. *v.* 45. e Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 35. f Ov. Met. *L.* 15. *v.* 232. g Ov. Art. Am. *L.* 2. *v.* 143. h Sen. Hippol. *ver.* 758. i Sen. Hercul. Oet. *v.* 380.

Notæ.] 1 *Utpote faciem tuam malè referens.* 2 *Helena Tyndari filia.* 3 *A Theſeo, & à Paride.* 4 *Cùm ſolſtitio æſtivo meridies eſt ferventiſſimus, & contrahuntur umbræ.* 5 *Forma. Peripbraſ.*

CAP. LXXVI.

——*Vicinia damno eſt.*

[a]SI quis amas, nec vis; facito contagia vites;
Hæc etiam pecori ſæpe nocere ſolent.
Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:
Multaque corporibus [1] tranſitione nocent.
Proximus à tectis ignis defenditur ægrè;
Utile finitimis abſtinuiſſe locis.
Manat amor tectus; ſi non ab amante recedas:
Spectandoque avido lumine, creſcit amor.
In loca nonnunquam, ſiccis arentia glebis,
De propè currenti flumine, manat aqua.
Non facilè eſuriens poſitâ retinebere mensâ;
Et multam ſaliens incitat unda ſitim.
Non facilè eſt visâ taurum retinere juvencâ:
Fortis equus viſæ ſemper adhinnit equæ.

——— Dedit [b] contagio labem,
Et dabit in plures; ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci:
Uvaque 2 conſpectâ livorem ducit ab uvâ.
Sic [c] pars ægra hominis trahit ad contagia ſanum
Corpus: & exigui quamvis diſcrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.
Sicque [d] malum latè ſolet immedicabile 3 cancer
Serpere 4; & 5 illæſas 6 vitiatis 7 addere partes:
Et [e] mala vicini pecoris contagia lædent.

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 217, *& infra.* b Juv. Sat. 2. *v.* 78. c Auſ. Paul. *Ep.* 24. *ver.* 28. d Ov. Met. *Lib.* 2. *v.* 825. e Virg. Bucol. *Ecl.* 1. *v.* 51.

Notæ.] 1 *Tranſeundo ab alio ad aliud.* 2 *Ut eſt in proverbio, uva uvam videndo varia fit.* 3 *Morbus paulatim corpus rodens.* 4 *Paulatim ſe per totum corpus diffundere.* 5 *Sana membra.* 6 *Cancro corruptis.* 7 *Eadem malo inficere.*

CAP. LXXVII.

Intempeſtiva nocent conſilia.

[a] IMpatiens animus nec adhuc tractabilis arte
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar meliùs tunc, cùm ſua vulnera tangi
Jam ſinet; & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetat; non hoc illa monenda 1 loco eſt.
Cùm dederit lacrymas, animumque 2 expleverit ægrum;
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Curando [b] fieri quædam majora videmus
Vulnera; quæ meliùs non tetigiſſe fuit.

Vulneris

Vulneris [c] id genus eſt, quod cùm tractabile non ſit
Non contrectari tutius eſſe puto.
Quin [d] etiam accendas vitia, irriteſque vetando:
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.
Neve [e] retrectando nondum coëuntia rumpe
Vulnera; vix illis proderit ipſa quies.
Aſt [d] ubi viſus erit morbus medicabilis arte;
Tunc adhibe, & proſit cura, medentis opem.
Temporis [f] officium ſolatia dicere certi eſt;
Dum dolor in 3 curſu eſt; dum petit æger opem:
At cùm longa dies ſedavit 4 vulnera mentis;
Intempeſtivè qui 5 fovet illa, 6 novat.

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 123. b Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 25. c Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 2. *v.* 29. d Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 133. e Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 4. *v.* 41. f Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 11. *v.* 17.

Notæ.] 1 *Tempore.* 2 *Satiaverit fletu.* 3 *Pleno fertur & primo impetu.* 4 *Animi curas. Metaph.* 5 *Remedium conatur afferre.* 6 *Dolorem magis refricat, quàm lenit.*

CAP. LXXVIII.

Amorem nutrit ſolitudo.

[caveto.

Quiſquis amas, (loca ſola nocent) loca ſola
Quò fugis? In populo tutior eſſe potes.
Non tibi ſecretis (augent ſecreta furores)
Eſt opus: auxilio turba futura tibi eſt.
Triſtis eris, ſi ſolus eris; dominæque relictæ
Ante oculos facies ſtabit, ut ipſa, tuos.
Triſtior idcirco nox eſt, quàm 1 tempora Phœbi;
Quæ relevet luctus, turba ſodalis abeſt.

Nec

Nec fuge colloquium: nec ſit tua janua clauſa:
Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
Semper habe 2 Pyladen, qui te ſoletur Oreſtem:
Hic quoque amicitiæ non levis uſus erit.
Quid niſi ſecretæ læſerunt 3 Phyllida, ſylvæ,
Certa necis cauſa eſt: incomitata fuit.
Sithoni 4, tunc certè vellem non ſola fuiſſes;
Non fleres poſitis Phyllida, 5 ſylva, 6 comis.
Phyllidis exemplo, nimiùm ſecreta timete,
Læſe vir à 7 dominâ; læſa puella viro.

Authoris Loca.] a Ov. Rem. Am. *L. 2. v. 183, & infra v. 209.*

Notæ.] 1 *Dies.* 2 *Amicum chariſſimum, qualis erat Pylades erga Oreſten.* 3 *Filiam Lycurgi regis Thracum; quæ cum promiſſum Demophoontis reditum diu & fruſtra expectâſſet, laqueo vitam finivit.* 4 *O Phyllis; ex Thraciâ, quæ olim Sithonia dicebatur.* 5 *Arbor amygdalus in quam Phyllis mutabatur.* 6 *Frondibus amiſſis. Metaph.* 7 *Ab amicâ.*

CAP. LXXIX.

Amorem fugant negotia.

[a]QUI, ni deſîeris, miſero periturus amore es,
Fac [b] monitis fugias otia prima meis.
Hæc ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur;
Hæc ſunt jucundi cauſa cibuſque mali.
Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus;
Contemptæque jacent, & ſine luce, faces.
Quàm platanus vino gaudet, quàm populus undâ,
Et quàm limoſâ canna paluſtris humo;
Tam Venus otia amat: qui finem quæris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.

Deſidiam [c] puer 1 ille ſequi ſolet, odit agentes;
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora; ſunt leges; ſunt, quos tuearis, amici;
Vade per urbanæ 2 candida caſtra togæ.
Vel tu ſanguinei 3 juvenilia 4 munera Martis
Suſcipe; deliciæ jam tibi terga dabunt.
Rura [d] quoq; oblectent animos, ſtudiumq; 5 colendi:
Quælibet huic curæ cedere cura poteſt.
Vel [e] tu venandi ſtudium cole: ſæpe receſſit
Turpiter à Phœbi victa 6 ſorore Venus;
Cùm [f] ſemel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis 7 irritus exit amor.
Aut [g] his, aut aliis, donec 8 dediſcis amare,
Ipſe tibi furtim 9 decipiendus eris.

Authoris Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 21. b Id. *v.* 136. c Id. *v.* 149. d Id. *v.* 169. e Id. *v.* 199. f Id. *v.* 197. g Id. *v.* 211.

Notæ.] 1 *Cupido amoris Deus.* 2 *Ambula in togâ candidâ, ut qui petebant Magiſtratum.* 3 *Robuſto juvene digna.* 4 *Officia militiæ.* 5 *Colendi humum.* 6 *Venatione, cujus Diana Phœbi ſoror Dea eſt.* 7 *Fruſtratus, non propoſiti compos.* 8 *Deſueſcis.* 9 *Amore clam decepto.*

CAP. LXXX.

—— Sua ſint meditata incommoda cuique.

[revolvat;—

[a] AD mala quiſque animum referat ſua; mente
Omnibus illa Deus pluſve minuſve dedit.
Credita [b] non ſemper ſulci cum 1 fœnore reddunt,
Nec ſemper dubias adjuvat aura rates.
Quod juvat exiguum eſt, plus eſt quod lædit amantes:—
Proponant animo multa ferenda ſuo.

Quo—

Quot lepores in 2 Atho, quot apes pascuntur in 3 Hyblâ:
Cœrula quot baccas 4 Pallados arbor habet;
Littore quot conchæ; tot sunt in amore dolores:
Quæ patimur multo 5 spicula 6 felle madent.
Qui [c] Puteal 7, Janumque 8 timet, celeresque 9 [calendas,
Torqueat hunc 10 æris mutua summa sui.
Cui pater est durus, votis ut cetera cedant,
Huic pater ante oculos durus habendus erit.
Hic malè dotatâ pauper cum conjuge vivit:
Uxorem fato credat obesse suo.
Est tibi rure bono generosæ fertilis uvæ
Vinea; nè nascens uva sit usta, time.
Ille habet in reditu navem; mare semper 11 iniquum
Cogitet, & damno littora fœda suo.
Filius hunc miles, te filia nubilis angant:
Et quis non causas mille doloris habet?

Authoris Loca.] a Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 163. b Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 113. c Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 165.

Notæ.] 1 *Cum incremento.* 2 *Macedoniæ monte.* 3 *Urbe Siciliæ mellificio inclyta.* 4 *Oliva Palladi sacra.* 5 *Cupidinis tela.* 6 *Dolore multo.* 7 *Locum ubi prætor jus dicebat.* 8 *Fœneratores, qui in Jani templo conveniebant.* 9 *Tempora quibus pecunia mutuo accepta creditoribus persolvenda erat.* 10 *Pecuniæ quæ olim ex ære fiebat.* 11 *Procellosum.*

CAP. LXXXI.

Nil conſtans in Amore.

NON ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto;
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes,
Dum licet, injuſto ſubtrahe colla jugo.
Vobis [b] nam facile eſt verba, & componere fraudes:
Hoc unum didicit fœmina ſemper 1 opus.
Non ſic incerto mutantur flamine 2 Syrtes;
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto:
Quàm cito fœminea non conſtat fœdus in irâ;
Sive ea cauſa gravis; ſive eà cauſa levis.
Ah [c] noli nimiùm confidere; ſæpe Cupido
Huic malus eſſe ſolet, cui bonus antè fuit.
Non [d] fruſtra 3 huic pictor ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in undâ;
Noſtraque non ullis permanet aura locis.
Hic [e] levis eſt, multoque ſuis ventoſior alis;
Gaudiaque ambiguâ datque negatque fide.
Omnia [f] vertuntur; certè vertuntur amores:
Vinceris, aut vincis: hæc in amore 4 rota eſt.
Iſte 5 quod eſt, ego ſæpe fui; ſed forſit in horâ,
Hoc ipſo ejecto, carior alter erit.
Tu [g] quoque, qui pleno faſtus aſſumis amore,
Credule, nulla diu fœmina pondus habet.

——— [h] O here, quæ res
Nec modum habet, neq; conſilium, ratione modoq;
Tractari non vult. In amore hæc ſunt mala; bellum,

Pax

Pax rurſum. Hæc ſi quis, tempeſtatis propè ritu
Mobilia, & cæcâ fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa: ſibi 7 nihilo plus explicet, ac ſi
Inſaniæ paret, certâ ratione modoque.

Autborum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 5. *v.* 11. b Prop. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 31. c Prop. *L.* 2. *El.* 18. *v.* 21. d Prop. *L.* 2 *El.* 12. *v.* 5. e Ov. Am. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 49. f Prop. *L.* 2. *El.* 8. *v.* 7. g Prop. *L.* 2. *El.* 25. *v.* 21. h Hor. *L.* 2. *Sat.* 3. *v.* 265.

Notæ.] 1 *Nempe dolos ſtruere.* 2 *Loci in mare vadiſi prope Afri-cum litus, arenæ cumulos huc illuc vahentes.* 3 *Cupidini.* 4 *Mutationis Emblema.* 5 *Amore ſolus.* 6 *Oratio Parmenonis ſervi, horum Phædriam ab amore diſſuadentis. Locus iſte ex Terentii Eunucho deſumptus, Act.* 1. *Scen.* 1. *cui comparare operæ pretium foret.* 7 *Non magis proficiat.*

CAP. LXXXII.

Graves augentur tempore curæ.

MEns uſque ægra manet, nec tempore robora [ſumit;
Affectuſq; animi, qui fuit antè, manet.
Quæque morâ ſpatioque ſuo coïtura putavi
Vulnera; non aliter quam modò facta, dolent.
Scilicet exiguis prodeſt annoſa vetuſtas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.
Pene decem totis aluit 1 Pæantius annis
Peſtiferum tumido vulnus ab angue datum;
Telephus 2 æterna conſumptus tabe perîſſet,
Si non, quæ nocuit, dextra tuliſſet opem.
Tempus [b] quod ſævas paulatim mitigat iras,
Non minuit luctus, mœſtave corda levat.

Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas
Præterquam curas attenuare graves.
Triſtior eſt etenim præſens ærumna priore:
Ut ſit enim ſibi par, crevit, & aucta morâ eſt.
Scilicet ut veteres fugiunt juga curva juvenci;
Et domitus fræno ſæpe repugnat equus:
Nos quoque quæ ferimus, tulimus patientiùs antè:
Et mala ſunt longâ multiplicata morâ.
Ægreſcit magis aucta gravis nam tempore cura;
Ut [c] vigilare leve eſt, pervigilare grave.

Illinc [d] egeſtas triſtis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis ſubigunt virum;
Non tempus illi fecit ærumnas leves.
Longo dolorum ſenſus accreſcit die:
Leve eſt miſerias ferre, perferre eſt grave.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 2. *v.* 7. b Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 15, & *v.* 25, & *v.* 23, & *v.* 37. c Mart. *L.* 9. *Ep.* 70. d Sen. Thyeſ. *v.* 304.

Notæ.] 1 *Philoctetes Pœantis filius Herculis ſagittâ vulneratus.* 2 *Myſiorum Rex ab Achillis haſtâ vulneratus; & quodam ex ejuſdem haſtæ rubigine malagmate confecto ſanatus.*

CAP.

CAP. LXXXIII.

Fœlices Philoſophi.

NOS juvet immenſi cauſas exquirere mundi,
Primaque conſtanti corpora juncta fide.
An magnum æterno volvatur Numine cœlum:
An propria hoc ingens mole laboret onus.
Unde nitor ſtellis; cur nox 1 majorve 2 minorve;
Cur non ipſa 3 ſuo lumine Luna micet.
Fœlices queis fas cœli jam ſcandere ſedes;
In queis, poſt obitum, fata manere ſinant.
Fœlices [b] animæ, quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit!
Credibile eſt illas pariter vitiiſque jociſque
Altiùs humanis exſeruiſſe caput.
Non 4 Venus & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumve 5 fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, 6 perfuſaque gloria fuco;
Magnarumque fames ſolicitavit opum.
Admovêre oculis diſtantia ſidèra noſtris,
Ætheraque 7 ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur cœlum: non ut ferat Oſſan 8 Olympus;
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.
Adde [c], quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores; nec ſinit eſſe feros.

Fœlix [d], qui potuit rerum cognoſcere cauſas;
Quique metus omnes & inexorabile fatum,
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; 9 Acherontis 10 avari.

Diſcite [a], ô 11 miſeri, & cauſas cognoſcite 12 rerum.
Diſce [f] bonas artes, moneo, ſtudioſa juventus.

Authorum Loca.] a Sannaz. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 3. *& infra.* b Ov. Faſt. *L.* 1. *v.* 297. c Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 47. d Virg. Georg. *L.* 2. *v.* 490. e Perſ. *Sat.* 3. *v.* 66. f Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 461.

Notæ.] 1 *Longior hyeme.* 2 *Brevior æſtate.* 3 *Sed à ſole mutuato.* 4 *Libido.* 5 *Cauſarum actio in foro.* 6 *Fictitio colore ſplendida.* 7 *Nempe ſtellarum notitia.* 8 *Olympus mons Oſſæ Theſſaliæ monti impoſitus à Gigantibus cælum ſcandentibus.* 9 *Mortis metum, Acheron enim inferni fluvius.* 10 *Quia infernum rapit omnia.* 11 *O juvenes voluptatibus dediti.* 12 *Naturalium, quarum cognitio eſt Philoſophia.*

CAP. LXXXIV.

Ars ſtupet malis.

[2]CRede mihi: miſeros prudentia prima relinquit:
Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.
Fracta [b] cadit magnæ ſapientia mole ruinæ;
Plus valet ingenii viribus ira Dei.
Non [c] aliter 1 ſtupui, quàm qui Jovis 2 ignibus ictus
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Nam [d] pavor attonito rationis ademerat uſum:
Ceſſerat omne meis conſiliumque malis.
Sic [e] cùm immane fremunt inſani murmure venti;
Neſcit, 3 cui domino pareat, unda maris.
Rector in incerto eſt; nec quid fugiatve, petatve,
Invenit: ambiguis ars ſtupet icta malis.
Navita [f] confeſſus gelido pallore timorem,
Jam ſequitur victam, non regit arte ratem.

Utque

Utque parum validus non 4 proficientia rector
Cervicis rigidæ fræna remittit equo;
Sic non quo voluit, ſed quo rapit impetus undæ,
Aurigam 5 videas vela dediſſe rati.
Ipſe [g] gubernator tollens ad ſidera palmas,
Expoſcit votis, 6 immemor artis, 7 opem.

Authoris Loca.] a Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 12. *v.* 47. [b] Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 12. *v.* 13. c Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 11. d Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 47. e Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 25, & *v.* 31. f Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 113. g Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 21.

Notæ.] 1 *Ovidii de ſe verba mox in exilium ituro.* 2 *Fulmine.* 3 *Cui vento; ſic Horatius vocat ventum maris Tyrannum & Arbitrum.* 4 *Nihil profutura.* 5 *Navis gubernatorem. Metaph.* 6 *Oblitus nauticæ peritiæ.* 7 *Deorum auxilium.*

CAP. LXXXV.

Vive hodie: cras incertum.

[a] NON bene 1 diſtuleris, videas quæ poſſe negari;
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe;
Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant.
Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, vivam:
Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.
Frange [b] toros 2; pete vina; 3 rosis cape; tinge re
Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus. [nardo:
Si [c] ſapis, utaris totis, 5 Coline, diebus:
Extremumque diem ſemper adeſſe putes.

Vivere [d] quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam; properat vivere nemo ſatis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere cenſus:
Atriaque immodicis arctat 4 imaginibus.
Cras [e] (inquis) vives, hodie jam vivere ſerum eſt:
Ille ſapit, quiſquis, 5 Poſthume, vixit heri.
Gaudia [f] tu differs, at non & 6 ſtamina differt
Atropos 7; atque omnis ſcribitur hora tibi.

Quid [g] ſit futurum cras, fuge quærere; &
Quem ſors dierum cumque dabit, lucro
Appone 8; nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas;
Donec virenti canities abeſt
Moroſa ———
——— [h] Rapiamus amici
Occaſionem de die:
Dumque virent genua,
Et decet, 9 obductâ ſolvatur fronte ſenectus.
Nunc & 10 Achæmeniâ
Perfundi nardo juvat: & 11 fide Cylleneâ
Levare diris pectora
Sollicitudinibus.

——— [i] Novit paucos
Secura quies; qui velocis
Memores ævi, tempora nunquam
Reditura tenent. Dum fata ſinunt
Vivite læti; properat curſu
Vita citato; volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.

Indulg

Indulge [k] Genio; carpamus dulcia; noſtrum eſt
Quod vivis; cinis & manes, & fabula fies.
Vive memor leti: fugit hora.

Authorum Locа.] a Mart. *L.* 1. *Ep.* 16. b Mart. *L.* 2. *Ep.* 59. c Mart. *L.* 4. *Ep.* 54. d Mart. *L.* 2. *Ep.* 90. e Mart. *L.* 5. *Ep.* 59. f. Mart. *L.* 10. *Ep.* 44. g Hor. *L.* 1. *Od.* 9. *v.* 13. h Hor. *Epod.* 13. *v.* 4, & 12. i Sen. Herc. Fur. *v.* 174. k Perſ. Sat. 5. *v.* 151.

Notæ] 1 *Male facis differendo.* 2 *Aſſiduus incumbe toris, quibus in conviviis utebantur.* 3 *Corollas roſeas; quarum uſus in conviviis, ut & nardi.* 4 *Majorum, quas in primis ædium partibus diſponebant nobiles.* 5 *Nomen fictitium cui inſcripſit Martialis Epigramma.* 6 *Vitæ tuæ ſtamen, quod ſectura eſt.* 7 *Parcarum ultima.* 8 *Eum tibi in lucro deputato.* 9 *Senilis ſeveritas fronte exporrecta pellatur, quæ nunc rugis obducta et contracta.* 10 *Aſſyria, cujus olim rex Achæmenes.* 11. *Lyra à Mercurio in monte Cyllene nutrito inventa.*

CAP. LXXXVI.

Vincenti dabitur Laurea.

GLoria [a] non veniet tenues delapſa per auras;
Vincentis cinget ſola corona caput.
Nil [b] tam difficile eſt, quod non ſolertia vincat;
Invigila, & parta eſt gloria militiæ.
Haud unquam ſeſe virtus pigra extulit aſtris:
Non [c] eſt è terris mollis ad aſtra via.
Hinc [d] tulit 1 Hippomenes 2 Schœneïda præmia curſûs,
Quæ propero curſu vicerat antè procos.

Qui [e] ſtudet optatam curſu contingere 3 metam;
Multa tulit, fecitque puer; ſudavit, & alſit.
Dulcia [f] non meruit, qui non guſtavit amara:
Omnia quippe Deus poſuit ſudoris in arce.
Invia [g] virtuti nulla eſt via; [h] nil ſine magno
Vitæ labore dedit mortalibus—

Non [i] quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos 4 latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos:
Armat ſpina roſas, mella 5 tegunt apes.

Abſiſte [k] ſomnis: Nos medio procul
Campo coronam figimus arduâ
In rupe; Rex eſto, priore
Quiſquis emet ſibi regna curſu.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 43. b Carm. Lilii *de* Morib. *v.* 29. c Herc. Fur. *v.* 437. *parcè detortus.* d Ov. *Ep.* Par. *ad* Hel. *v.* 263. e Hor. Art. Poet. *v.* 412. f Verſus ſatis notus. g Ov. Met. *L.* 14. *v.* 113. h Hor. *L.* 1. *Sat.* 9. *v.* 59. i Claud. *in* Nupt. Honor. & Mar. *v.* 105. k Caſim. Sarb. *L* 4. *Od.* 37.

Notæ.] 1 *Qui pomorum aureorum jactu impeditam curſu vicit Atalantam & uxorem duxit.* 2. *Atalantam Schœnei filiam.* 3 *Laboris metam. Metaph.* 4. *Ab Hyblâ Siciliæ monte, thymi copiâ & apibus abundante.* 5 *Tuentur.*

CAP. LXXXVII.

Miſerum amicum turpe deſerere.

TUrpe [a] erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nullâ parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem; nec paſſu ſtare tenaci;
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere; amicum
Et, niſi ſit felix, eſſe negare tuum. [nati:
Non ita vixerunt 1 Strophio atque 2 Agamemnone
Non hæc 3 Ægidæ 4 Pirithoïque fides.
Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas;
In quorum plauſus tota theatra ſonant.

Cur

Cur [b] tu ſuſcepti curam dimittis amici?
Officiique pium tam citò ponis opus?
Sarcina ſum, fateor, quam ſi nunc tempore duro
Depoſiturus eras; non ſubeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, 5 Palinure, relinquis?
Ne fuge; neve tuâ ſit minor arte fides.
Nunquid Achillêos, dura inter prœlia, fidi
Deſeruit levitas 6 Automedontis equos?
Quem ſemel accepit, nunquam 7 Podalirius ægro
Promiſſam medicæ non tulit artis opem.
Turpiùs ejicitur quàm non admittitur hoſpes:
Quæ patuit, dextræ firma ſit 8 ara 9 meæ.

Authoris Loca.] a Ov. Pont. *L.* 2. *El.* 6. *v.* 19. b Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 6. *v.* 3.

Notæ.] 1 *Pyladis Strophii filius:* &—2 *Oreſtes Agamemnonis; nobile amicorum par.* 3 *Theſeus Ægei filius.* 4 *Quem amicus Theſeus ad inferos comitatus eſt.* 5 *Navis Æneæ Gubernator.* 6 *Achillis currûs aurigæ.* 7 *Æſculapii filius arte medicâ inſignis.* 8 *Aſylum, tutela. Metaph.* 9. *Ovidii verba amico.*

CAP. LXXXVIII.

Optima brevis ævi.

[a] IMmodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus:
Quicquid ames, cupias non placuiſſe nimis.
Optima [b] prima ferè manibus rapiuntur avaris:
1 Implentur numeris deteriora ſuis.
Vivit edax vultur: ducenſque per aëra gyros,
Miluus, & pluviæ gracculus 2 augur aquæ.
Vivit & armiferæ cornix inviſa Minervæ;
Iſta quidem ſæclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago
Pſittacus; heu vitæ quàm citò meta venit!

Triſtia

Triſtia 3 Phyllacidæ 4 Therſites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, 5 Hector erat.
Occidit [c] exemplum *6* juvenis venerabile morum;
Maximus ille armis, maximus ille 7 togâ;
Occidit; [d] & miſero ſteterat vigeſimus annus.
Tot bona tam parvo clauſit in orbe Deus.
Crudeles [e] Divi! ſerpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.

O [f] ſæve nimiùm graveſque Parcæ!
O nunquam data vita longa ſummis!
Cur plus ardua caſibus patetis?
Cur ſæva vice magna non ſeneſcunt?

Dum [g] cervi volucres, & cornix garrula vivunt;
Tot ſæculis vigentque;
Uni porrò homini poſt ſeptima protinus, idque
Vix dum peracta ſæcula,
Corporeum robur carioſa ſenecta fatigat.

Eheu, [h] quàm brevibus pereunt ingentia fatis!
Oſtendent [i] terris 8 te tantùm fata, nec ultrà
Eſſe ſinent.—

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 6. *Ep.* 29. b Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 6. *v.* 39. & 35, & 41. c Ped. *El. in* obitum Druſi, *v.* 13. d Prop. *L.* 3. *El.* 16. *v.* 15. e Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 31. f Stat. Sylv. *L.* 2. Genethliac. Lucani, *v.* 89. g Eraſm. *de* Senect. incommodis, *v.* 49. h Claud. *in* Ruf. *L.* 2. *v.* 49. i Virg. Æn. L. 6. *v.* 869.

Notæ.] 1 *Quam diutiſſimè vivunt.* 2 *Prædictor. Sic Hor. L.* 3. *Od.* 17. Aquæ niſi fallit augur Annoſa cornix. 3 *Proteſilai Græcorum Ducum fortiſſimi à Phylace Theſſaliæ oppido oriundi.* 4 *Græcorum tum corpore tum moribus turpiſſimus.* 5 *Fratrum fortiſſimus.* 6 *Druſus Liviæ Auguſtæ filius, Germanorum domitor.* 7 *Pace.* 8 *O Marcelle, Octaviæ Auguſti ſororis fili.*

CAP.

CAP. LXXXIX.

Virtus per ſe expetenda.

[1] JUdice me, mercede caret, per ſeque petenda eſt
Externis virtus incomitata bonis.

Ipſa [b] quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet: nec 1 faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis; immotaque cunctis
Caſibus; ex altâ mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blandè veſtigat, & ultro
Ambit honos; [c] ſed virtutem non præmia tantum,
Quàm labor ipſe juvat: ſtrepitus faſtidit inanes,
Inque animis hominum pompâ meliore triumphat.
Ipſa [d] quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Virtus [e] repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus;
Nec ſumit aut ponit 2 ſecures
Arbitrio popularis 3 auræ.
Virtus, 4 recludens immeritis mori
Cœlum, 5 negatâ tentat iter viâ:
Cœtuſque vulgares, & udam
Spernit humum, fugiente pennâ.
Virtus [f] agreſti dives in otio,
Seſe ipſa claudit finibus in ſuis

Plerumque:

Plerumque: & inſonti quietum
In paleâ ſolium reclinat.

Authorum loca] a Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 35. b Claud. Conſ. Mallii Theod. *v.* 1. c Claud. *de* Laud. Stil. *L.* 3. *v.* 27. d Sil. It. *L.* 13. *v.* 663. e Hor. *L.* 3. *Od.* 2. *v.* 17. f Caſim. Sarb. *L.* 4. *Od.* 15. *v.* 25.

Notæ.] 1 *Ullis honoribus. Faſces enim apud Romanos ſummi magiſtratûs inſigne.* 2 *Conſulatum. Metonym.* 3 *Favoris, æquè incerti ac aura.* 4 *Aperiens.* 5 *Propter difficultatem.*

CAP. XC.

Virtus malis innoteſcit.

EXpoſuit miſerum populo fortuna videndum:
Et plus notitiæ, quàm fuit antè, dedit.
Notior eſt factus 1 Capaneus de fulminis ictu:
Notus humo merſis 2 Amphiaraüs equis.
Si minùs errâſſet, notus minus eſſet Ulyſſes;
Magna 3 Philoctetæ vulnere fama ſuo eſt.
Si locus eſt aliquis magna inter nomina parvis;
Nos quoque conſpicuos noſtra ruina facit.
Cernis [b] ut 4 Admeti cantetur, ut 5 Hectoris uxor,
Auſaque in accenſos 6 Iphias ire rogos?
Non [c] potuit pietas flamma ceſſante probari:
Emptum eſt ingenti clade perenne decus.

Explorant [d] adverſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.
Roma [e] haud ſuccubuit damnis, et territa nullo
Vulnere, poſt 7 Cannas major 7 Trebiamq; fremebat.
Pone [f] igitur lacrymas, & adora vulnera, laudes
Perpetuas paritura tibi: Nam tempore Roma

Nullo

Iullo major eris: mox ſic labêre ſecundis;
t ſolâ cladum tuearis nomina famâ.

Authorum Loca] a Ov. Pon. 3. *El.* 1. *v.* 49. b Ov. Triſt. 5. *El.* 14. *v.* 37. c Claud. ›ig. *de* piis fratr. *v.* 47. d Sil. al. *L.* 4. *v.* 605. e Claud *in* il. *L.* 3. *v.* 144. f Sil. It. 9. *v.* 350.

Notæ.] 1 *Unus è ſeptem Arvorum ducibus, qui contra Thebas pugnans, Jovis ictus fulmine interiit.* 2 *Dux, qui Thebarum oppugnatione terræ hiatu abſorptus eſt.* 3 *Herculis ſagittâ vulneratus.* 4 *Alceſtis, quæ pro marito mortem oppetiit.* 5 *Andromache Hectori ſuo in malis chariſſima.* 6 *Quæ in mariti ſui Capanei rogum ſe injecit.* 7 *In quibus locis Romani cladem ab Hannibale accepere maximam.*

CAP. XCI.

Gravia graviorem curam exigunt pericula.

Firma valent per ſe, nullumque [quærunt,
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Iempe graves poſcunt graviora pericula curas
Parvaque non ſummo credita bella duci.

'autiùs [b] ingentes morbos, & proxima cordi
'ulnera, 2 Pæoniæ tractat ſollertia curæ;
arcendoque ſecat; ferro nè largiùs acto,
revocandus eat ſectis vitalibus error.
'urentur [c] dubii medicis majoribus ægri;
'u 3 venam vel diſcipulo committe 4 Philippi,
aliam [d] quoties bellî circumſtetit atrox
empeſtas, ipſumque caput læſura pependit,
Ion illis vani ratio ventoſa favoris,

Sed

Sed graviter ſpectata ſalus; ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel 5 læta vel 5 aſpera rerum
Conſilio regeret. [e] Sic venti flamine molli
Tranquilliſq; fretis, clavum ſibi quiſq; regendum
Vindicat; incumbat ſi turbidus Auſter, & unda
Pulſat utrumq; 6 latus: 7 poſito certamine nautæ
Contenti 8 meliore manu, ſeſeque ratemque
Unius imperiis tradunt; artemque pavore
Confeſſi, finem ſtudiis fecêre procellæ.
Haud aliter 9 Stilicho fremuit cùm 10 Thracia belli
Tempeſtas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor: ſuffragia quippe peregit
Judex vera timor. Victus ratione ſalutis
Ambitus, & pulſus tacuit 11 formidine 12 livor.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 7. b Claud. *de* Bell. Get. *v.* 120. Juv. Sat. 13. *v.* 124. d Claud. *de* Bell. Get. *v.* 111. e Claud. *de* laud. Serenæ Reg. *v.* 201.

Notæ.] 1 *Medicum inſignem Æſculapii filium.* 2 *Medicæ, à Pæone medico peritiſſimo.* 3 *Aperiendam.* 4 *Rudis medici.* 5 *ea lætas vel aſperas. Græciſm.* 6 *Navis.* 7 *Depoſito.* 8 *Peritiore.* 9 *Dux Romanus qui ſub Imperatoribus Arcadio & Honorio multa præclarè bello & pace geſſit.* 10 *E Thraciâ erumpens.* 11 *Metu hoſtium.* 12 *Competitorum invidiâ.*

CAP. XCII.

Malorum uſu indureſcimus.

[a] TU mala multa feras, etenim pejora tuliſti:
Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum:
Subtrahit & duro colla novella jugo.

Nos

Nos quibus aſſuevit fatum crudeliter 1 uti,
Ad mala jampridem non ſumus ulla 2 rudes.
Ac [b] veluti primò taurus detrectat aratra;
Mox venit adſueto mollis ad arva jugo.
Sic primò juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti, poſthæc 3 æqua & iniqua ferunt.
Inventâ [c] ſecuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis ſolicitavit aquas:
Tranquillis primum trepidus ſe credidit undis,
Littora ſecuro tramite ſumma legens:
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Aſt ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem 4 dedidicêre metum;
Jam vagus exſultat pelago; 5 cœlumque ſecutus
Ægæas 6 hyemes Ioniaſque 7 domat.

Autborum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 13. b Prop. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 47. c Claud. Præfat. *ad L.* 1 *de* Raptu Proſerp.

Notæ.] 1 *Tractare.* 2 *Inexperti.* 3. *Omnia & toleranda & non toleranda.* 4 *Paulatim depoſuere.* 5 *Nauta cœlum ſequi dicitur, quia curſus ejus ab obſervatione aſtrorum dependet.* 6. *Tempeſtates maris Ægæi & Ionii.* 7 *Navigatione ſuperat.*

CAP.

CAP. XCIII.

—*Non Numen Amor, ſed fœda Libido eſt.*

[a] QUicumq; ille fuit, puerum qui pinxit amorem
Nonne putas ſtultas hunc habuiſſe manus
Cur etenim hamatis manus eſt armata ſagittis;
Cur pharetra ex humero 1 Gnoſſia utroq; jacet
Cur idem fruſtra ventoſas addidit alas?
Fecit & humano corde volare Deum?
Non [b] Deus humanis ardorem mentibus addit;
Sed ſit cuique Deus dira libido ſua.

Deum [c] eſſe Amorem turpis & vitio favens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori Numinis falſi addidit.
Natum 2 per omnes ſcilicet terras vagum
Erycina 3 mittit; ille per cœlum volans
Proterva tenerâ tela molitur manu:
Vana iſta demens animus aſcivit ſibi,
Veneriſque numen finxit, atque arcus Dei.
Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, ſemper inſolita appetit.
Tunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido.——
Volucrem [d] eſſe Amorem fingit immitem Deum
Mortalis error; armat & telis manus:
Arcuſque ſacros miſcuit ſævâ face;
Genitumque credit Venere, 4 Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor eſt; juventâ gignitur: luxu, otio,

Nutritu

Nutritur; 5 inter læta fortunæ bona;
Quem si fovere, atque alere desistas, cadit;
Brevique vires perdit extinctus suas.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 1. *El.* 12. *v.* 1, & *infra.* b E Virg. Æn. *L.* 9. *v.* 184. *parcè detorta.* c Sen. Hippol. *v.* 195. d Sen. Octav. *v.* 558.

Notæ.] 1 *A Gnosso urbe Cretæ Insula, arcuum usu celeberrima.* 2 *Cupidinem.* 3 *Venus ab Eryce Siciliæ monte.* 4 *Ignis Deo, Veneris marito.* 5 *In magnâ fortunæ affluentiâ.*

CAP. XCIV.

Regum est misereri.

[a]REgia (crede mihi) res est succurrere lapsis:
Atque brevis magno convenit ira viro.
Conspicitur nunquam meliore potentia causâ,
Quàm quoties vanas non finit esse preces.
Hoc nitor excelsi generis desiderat, hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune Deo; quod uterque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Sola Deos æquat, reges, clementia vobis:
Sola [b] quidem magni custos clementia mundi;
Hæc docet ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumq; putes, ut 1 ferrum, 2 Marte cruentum,
Siccum pace, 3 premas; deponas ocyùs iram
Quàm moveas; precibus nunquam implacabilis
Obvia prosternas, prostrataq; more leonum [obstes:
Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,

Transiliunt

Transiliunt prædas humiles; [c] mortisq; facultas
Emollit rabiem prædæ; torvique leones
Quæ straviſſe calent; eadem proſtrata 4 relinquunt.
Nec niſi bellantis gaudet cervice juvenci
Nobiliore fames.———

———Rex [d] mitis non inſultare jacenti
Malebat, mitis precibus; pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat; paci non intulit iram.
Poſt acies odiis idem qui terminus armis.
Quin [e] etiam ſontes, expulsâ corrigit irâ,
Et placidus delicta domat; nec dentibus unquam
Inſtrepit horrendum; fremitu nec verbera poſcit.
Qui fruitur pœnâ, ferus eſt; legumque videtur
Vindictam 5 præſtare ſibi; Dîs proximus ille
Quem ratio, non ira movet; qui 6 facta rependens
Conſilio 7 punire poteſt.——

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 11, 15, & 20. b Claud. *de* Laud. Stilicon *L.* 2. *v.* 14. c Claud. *Epiſt. ad* Hadrian. *v.* 27. d Claud. *de* 4 Conſ. Honor. *v.* 112. e Claud. *de* Conſul. Mallii Theod. *v.* 221.

Notæ.] 1 *Enſem.* 2 *Belle.* 3 *In vaginâ recondas.* 4 *Præterunt.* 5 *Ultionem violatæ legi debitam, privatæ iræ præſtare.* 6 *Admiſſa facinora.* 7 *Ira moderata.*

CAP.

CAP. XCV.

Pares cum paribus facillimè congregantur.

[a] CUM pare quæque ſuo coëunt, volucreſque, feræque,
Atq; aliquam, de quâ procreet, anguis habet.
Scilicet [b] ingeniis aliqua eſt concordia 1 junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem 2 dubiæ navita puppis amat.
Tu quòque 3 Piëridum ſtudio, ſtudioſe, teneris;
Ingenioque faves, ingenioſe, meo.
Nam [c] nequit officium vatis contemnere vates,
Sed 4 commilitii ſacra tuenda putat.
Proſit, opemque ferat communia ſacra tueri;
Atque iſdem ſtudiis impoſuiſſe manum.

———Serpentum [d] magna eſt concordia, parcit
Cognatis maculis 5 ſimilis fera; quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.
At [e] nunquam placidis coëunt immitia, nunquam
Serpentes avibus 6 geminantur, tigribus agni.
Oderunt [f] hilarem triſtes, triſtemque jocoſi,
Sedatum celeres; agilem, gnavumque remiſſi;
Potores bibuli mediâ de nocte 7 Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula,———

Neque

Neque [g] & hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam; niſi in diſpar 9 genus.

Authorum Loca.] [a] Ov. Faſt. *L.* 3. *v.* 193. [b] Ov. Pon. *L.* 2. *Ep.* 5. *v.* 59. [c] Ov. Pon. *L.* 4. *Ep.* 8. *v.* 67, & *v.* 81. [d] Juv. Sat. 15. *v.* 159. [e] Hor. *de* Poet. *v.* 12. [f] Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *v.* 89. [g] Hor. Epod. 7. *v.* 11.

Notæ.] 1 *Quæ idem amant.* 2 *Ventis jactatæ.* 3 *Muſarum, quæ à Pierio Theſſaliæ monte ita dictæ.* 4 *Jura quibus quaſi commilitones ſe invicem tuentur.* 5 *Feris ejuſdem ſpecici, maculas eaſdem habentibus.* 6 *Copulantur.* 7 *Optimi vini à Falerno Campaniæ monte ita dicti.* 8 *Ferus mos invicem contendendi.* 9 *Feram alterius naturæ.*

CAP. XCVI.

Induſtriâ res parvæ creſcunt.

[a] O Quàm de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quàm non 1 invidioſa fuit!
Parva [b] fuit, ſi prima velis 2 elementa referre,
Roma, ſed in parvâ ſpes tamen 3 hujus erat.
Mœnia jam ſtabant populis anguſta futuris:
Credita ſed turbæ tunc nimis ampla ſuæ.
Hic [c] ubi Roma potens opibus jam ſæcula quinq;
Crevit, & edomito ſuſtulit orbe caput;
Hic [d] ubi nunc Roma eſt, orbis caput, arbor & herbæ,
Et paucæ pecudes, & caſa rara fuit.
Et [e] quem nunc gentes Tiberim norunt; timentq;
Tunc etiam pecori deſpiciendus erat.
Ergo [f] niſi immenſum vires 4 promôſſet in orbem,
Stramineis 5 eſſet nunc quoque tecta caſis.

Gentibus

Gentibus [g] eſt aliis tellus data limite certo;
Romanæ ſpatium eſt urbis & orbis idem.
Omnia [h] Romanæ cedunt miracula terræ;
Natura hic poſuit quicquid ubique fuit.

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 3. *v.* 433. b Ov. Faſt. *L.* 3. *v.* 179. c Ov. Faſt. *L.* 4. *v.* 255. d Ov. Faſt. *L.* 5. *v.* 93. e Ov. Faſt. *L.* 5. *v.* 641. f Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 9, *v.* 17. g Ov. Faſt. *L.* 2. *v.* 683. h Prop. *L.* 3. *El.* 20. *v.* 17.

Notæ.] 1 *Parva quæ non invidiæ obnoxia.* 2 *Principia.* 3 *Quam nunc vides maximam.* 4 *Protuliſſet.* 5 *Qualis olim fuit, Romuleoque recens horrebat regia culmo. Virg.*

CAP. XCVII.

Dulcis damnoſa voluptas.

[a] SPerne voluptates: nocet empta dolore voluptas;
Læta venire Venus, triſtis abire ſolet.
Semper [b] ut inducas, blandos offers mihi vultus;
Poſt tamen es miſero triſtis & aſper, Amor.

Luxuries [c] prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis, hebetat caligine ſenſus;
Membraque 1 Circæis effœminat acrius herbis;
Blanda quidem vultus; ſed quâ non tetrius ulla,
Ultrices 2 fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatem multos innexuit hamis.
Quippe [d] nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes;
Quantum ſola noces animis immiſſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te ſemper volitans infamia pennis.
Tu [e] luxus populator opum, tibi ſemper adhærens

Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.
Luxuriâ [f] cecidere malâ, quæ plurima regna
Dira Venus vitiis, odiiſque ſuperbia vertit.
Sic malè ſublimes fregit 3 Spartanus Athenas;
Luxu 3 idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Aſſyrio & Medo rapuit moderamina 4 Perſes.
Subjecit Perſen Macedo; ceſſurus & ipſe
Romanis. [g] Ea 5 gens ita læta domare labores
Antiquo patrum luxu deſuevit honori.
Atque ille haud olim parcus pro laude cruoris,
Et quondam famæ ſitiens; obſcura ſedendo
Tempora agit, mutum volvens inglorius ævum
Sanguine 6 de Superûm populus; blandoq; veneno
Deſidiæ, virtus paulatim evicta ſeneſcit.
Nunc [h] patitur longæ pacis mala; ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque 7 ulciſcitur orbem.

Authorum Loca.] a Hor. *L.* 1. *Ep.* 2. *v.* 55. b Tib. *L.* 1. *L.* 7. *v.* 1. c Claud. *de* Laud. Stil. *L.* 2. *v.* 132. d Sil. It. *L.* 15. *v.* 94. e Claud. *in* Ruf. *L.* 1. *v.* 35. f Claud. *de* Laud. Stil. *L.* 3. *v.* 161. g Sil. It. *L.* 3. *v.* 975. h Juv. Sat. 6. *v.* 291.

Notæ.] 1 *Circes veneficæ populis venenoſo herbarum ſucco infectis.* 2 *Fuco inficiens.* 3 *Spartæ populus.* 4 *Perſarum populus.* 5. *Romani.* 6 *Gens Diis exorta. Æneas enim Veneris filius erat, Romuluſque Martis, qui populi Romani Authores.* 7 *Romanos orbis tum noti victores vincendo. Sic Horat.* Græcia capta ferum victorem cepit.

CAP.

CAP. XCVIII.

——Nullos virtus oppreſſa fateri
Eſſe Deos ſuadet.——

[a]VIve pius, moriere pius; cole ſacra; colentem
Mors gravis à templis, in cava ſaxa trahet.
Cùm rapiant mala fata bonos, (ignoſcite faſſo)
Solicitor nullos eſſe putare deos.
Et [b] ſine re nomen Deus eſt, fruſtraque timetur;
Et ſtultâ populos credulitate movet.
Marmoreo [c] 1 Licinus tumulo jacet, at 2 Cato parvo,
Pompeius 3 nullo: 4 quis putet eſſe deos?

Sæpe [d] mihi dubiam traxit ſententia mentem;
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector; & incerto fluerent mortalia caſu:
Nam cùm diſpoſiti quæsîſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctiſque vices; tunc omnia rebar
Conſilio formata Dei: qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igne
Compleri, Solemque ſuo: porrexerit undis
Littora: tellurem medio libraverit axe.
Sed cùm res hominum tantâ 5 caligine volvi
Adſpicerem; lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rurſus labefacta cadebat
Religio; cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, 6 vacuo quæ currere 7 ſemina motu
Affirmat, magnumq; novas per 8 inane figuras

Fortunâ 9 non 10 arte regi; quæ numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat; vel 11 neſcia noſtri.

O [e] magna parens Natura deûm;
Tuque, igniferi rector Olympi,
Cur tibi tanta eſt cura perennes
Agitare 12 vias ætheris alti?
———Sed cur idem
Qui tanta regis; (ſub quo vaſti
Pondera mundi librata, ſuos
Ducunt orbes,) hominum nimiùm
Securus abes; non ſolicitus
Prodeſſe bonis; nocuiſſe malis?

Nullos [f] eſſe deos, 13 inane cœlum
Affirmat 14 Selius, probatque; quod ſe
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Authorum Loca] a Ov. Amor. *L.* 3 *El.* 9. *v.* 37. b Id *El.* 3. *v.* 23. c E Delectu Epigram. *Pag.* 226. d Claud. *in* Ruf. *L.* 1. *v.* 1. e Sen. Hippol. *v.* 959. f Mart. *L.* 4. *Ep.* 21.

Notæ.] 1 *Cæſaris libertus. Galliâ (cui ab Auguſto præpoſitus) ſpoliatâ ditiſſimus.* 2 *Vitæ morumque integritate celeberrimus.* 3 *Ducum Romanorum clariſſimus.* 4 *Interfecti enim cadaver mari injectum.* 5 *Confuſa pœnarum præmiorumque diſtributione.* 6 *Ab Epicuro vel Democrito aſſertæ.* 7 *Rerum principia ſeu Atomos.* 8 *Vacuum ſpatium.* 9 *Cæco caſu.* 10. *Dei providentia.* 11 *Otioſe res humanas ſpectantia.* 12 *Cæli orbes circumvolvere.* 13 *Rem commentitiam.* 14 *Atheus.*

CAP.

CAP. XCIX.

1 *Tutum ſcelus quis, nemo* 2 *ſecurum tulit.*

NE tibi celandi ſpes ſit, precare paranti;
Eſt Deus, occultos qui vetat eſſe dolos.
Ipſe Deus tacito 3 permiſit vela miniſtro;
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
Juſſit, & invitos facta tegenda loqui.
Et [b] quum ſopitos premerent oblivia ſenſus,
Confeſſa eſt facinus conſcia lingua ſuum.

Non [c] mala magna latent; nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit; latebraſq; per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat 4 fama receſſus.
Etſi occulta tegas; [d] ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? Servi ut taceant; jumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora: claude feneſtras,
Vela tegant rimas, junge hoſtia, tollite lumen
E 5 medio, taceant omnes; prope nemo recumbat:
Quod tamen ad 6 cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet.——
Nec [e] facile eſt placidam & pacatam ducere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etſi fallat enim Divûm genus humanumque;
Perpetuò tamen id fore clam, diffidere debet.
———Multa [f] trepidus ſolet

Detegere vultus: magna nolentem quoque
Conſilia produnt.——

Authorum loca.] a Tib. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 23. b Corn. Gall. *El.* 4. *v.* 31. c Claud. *de* 4 Conſ. Honor. *v.* 273. d Juv. Sat. 9. *v.* 102. e Lucr. *L.* 5. *v.* 1153. f Sen. Thyeſt. *v.* 331.

Notæ.] 1 *A periculis.* 2 *A periculi metu.* 3 *Conceſſit poteſtatem arcano famulo.* 4 *Rumor.* 5 *Ne videant alii.* 6 *Ad ſecundum galli cantum, id eſt ſub mediam noctem.*

CAP. C.

Potenter Regum trahunt exempla.

VIvitur exemplo meliùs quàm legibus ullis;
Et magis ex 1 oculo ducimur, 2 aure minùs.
Sic [a] agitur 3 cenſura, & ſic exempla parantur;
Cum princeps, alios quod monet, ipſe facit.
Nemo [b] ſuos (hæc eſt 4 aulæ natura potentis)
Sed domini mores 5 Cæſarianus habet.
Non [c] eadem vulguſque decent & lumina rerum:
Eſt quod præcipuum debeat iſta domus.
Impoſuit te 6 alto fortuna, locumque tueri
Juſſit honoratum; 7 Livia, perſer 8 onus.
Ad te oculos, aureſque trahis; tua facta notamus:
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.
Pugnat [d] ad exemplum 9 Primi minor ordine Pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit.

Tu, [e] Princeps, rerum cui committuntur habenæ;
In commune jubes ſi quid, cenſeſve tenendum;
Primus juſſa ſubi; tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat; cùm viderit ipſum

Authorem

Authorem parere ſibi; componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere 10 ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
Quippe [f] in regem oculos populus defigit, & unum
Admirantur, amant, imitantur; ſeque ſuoſque
Ex hoc, ſeu ſpeculo, tentant effingere mores.
Res [g] haud mira igitur 11 citharœdo Principe,
Nobilis.—— [12 minus
Quicquid [h] ages igitur, 13 ſcenâ ſpectabere magnâ;
Et [i] te totius medio telluris in ore
Vivere cognoſcas; cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam; nec poſſe dari regalibus unquam
Secretum vitiis.——.

Rex [k] velit honeſta; nemo non eadem volet.

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 6. *v.* 647. b Mart. *L.* 9. *Ep.* 80. c Pedon. *El. in obk.* Druſ *v.* 347. d Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 7. *v.* 49. e Claud. *de* 4 Conſ. Honor. *v.* 296. f Buchan. Genet. Jac. Scot. Reg. *v.* 36 g Juv. Sat. 8. *v.* 198. h Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 59. i Claud. *de* 4 Conſ. Hon. *v.* 270. k Sen. Thyeſ. *v.* 213.

Notæ.] 1 *Exemplo oculis propoſito.* 2 *Præcepta audiendo.* 3 *Morum inſpectio exercetur.* 4 *Palatii Regis.* 5 *Aulicus, qui in Imperatoris aulâ verſatur.* 6 *Excelſo ſolio.* 7 *Auguſti uxor.* 8 *Onus doloris ob Druſum filium tuum morte ereptum.* 9 *Centurionis.* 10 *Animos.* 11 *Qui in ſcenâ citharam pulſat, ut Nero.* 12 *Qui mimum agit.* 13 *In magnâ hominum frequentiâ, tanquam in theatro.*

CAP. CI.

Bellorum fœmina cauſa eſt.

FOemina bellorum cauſa eſt; [a] niſi rapta fuiſſet
Tyndaris 1, Europæ pax Aſiæque foret.
Fœmina 2 ſylveſtres Lapithas, populumq; 3 bimem-
Turpiter appoſito vertit in arma mero. [brem
Fœmina 4 Trojanos iterum nova bella movere
Impulit in regno, juſte Latine, tuo.
Fœmina 5 Romanis etiam nunc urbe recenti,
Immiſit 6 ſoceros; armaque ſæva dedit.
Septem [b] urbs 7 alta jugis, toti quæ præſidet orbi,
Fœmineas 8 timuit territa marte minas.
Vidi ego pro niveâ pugnantes 9 conjuge tauros:
Spectatrix animos ipſa juvenca dabat.
Quid [c] moror exemplis, quorum me turba fatigat?
Quo non eſt Marti tempore juncta Venus.
Et [d] nunc mirabor, quòd tanti ad Pergama belli
Europæ, 10 atque 11 Aſiæ cauſa 12 puella fuit?

Fœmina [e] cauſa fuit, quondam conſurgere in arma
[furto.
Europamque 11 Aſiamque, & fœdera ſolvere 13
Hâc duce 14 Dardanius Spartam expugnavit adulter:
Hæc & tela dedit, fovitque cupidine bella.
Cauſa [f] mali tanti conjux iterum hoſpita Teucris,
Externique iterum thalami.———
Ne [g] dux malorum fœmina, & ſcelerum artifex
Obſideat animos; cujus inceſtæ ſtupris

Fumant

Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ; sola conjux Ægei
Medea, reddit fœminas dirum genus.

Authorum Loca.] a Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 12. *v.* 17. b Prop. *L.* 3. *El.* 9. *v.* 57. c Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 65. d Prop. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 45. e Virg. Æn. *L.* 10. *v.* 90. f Id. *L.* 6. *v.* 93. g Sen. Hippol. *v.* 557.

Notæ.] 1 *Helena, quæ existimata Tyndari filia.* 2 *Hippodamia uxor Pirithoi.* 3 *Centauros, ex homine & equo compositos.* 4 *Lavinia Latini Latii Regis filia, cujus causâ inter Æneam Turnumque bella excitata.* 5 *Sabinorum filiæ à Romulo Raptæ.* 6 *Sabinos.* 7 *Roma urbs septicollis.* 8 *Cleopatræ Ægypti reginæ.* 9 *Vacca.* 10. *In quâ Græcia.* 11. *In quâ Troas.* 12. *Helena.* 13 *Helenæ rapina.* 14 *Paris.*

CAP. CII.

Educatio aspera optima.

EST duris meliùs studiis fingenda juventus,
Et pueri discant aspera multa pati.
Dum [a] nova lanugo est, pavidos formidine cervos
Terret; & est illi præda benigna lepus.
At postquam virtus annis adolevit; in apros
Audet, & hirsutas cominus ire leas.
In [b] nemus ire juvet: pressisque in retia cervis,
Hortari celeres per juga summa canes.
Aut tremulum excusso jaculum torquere lacerto,
Aut in gramineâ ponere corpus humo.
Sæpe juvet versare leves in pulvere currus,
Torquentem frænis ora ferocis equi.

Durum [c] à ſtirpe genus; natos ad flumina primùm
Deferimus, & fævoſque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, ſylvaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoq; aſſueta juventus,
Aut raſtris terram domat; aut quatit oppida bello.
Tuque [d] ubi 2 firmaſti recto veſtigia greſſu,
Non tibi deſidiam mollem, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos 3 genitor permiſit inertes.
Sed nova per duros inſtruxit membra labores,
Et crudâ teneras exercuit indole vires.
Frigora ſæva pati; gravibus non cedere nimbis,
Æſtivum tolerare jubar; tranare ſonoras
Torrentum furias; aſcenſu vincere montes,
Planitiem curſu, valles & concava ſaltu;
Nec non in clypeo, vigiles producere noctes,
In galeâ potare nives, nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes 4 Baleari ſpargere fundâ.

Anguſtam [e], amici, pauperiem pati
Robuſtus acri militiâ puer
Condiſcat, & 5 Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta:
Vitamque ſub 6 dio, & trepidis agat
In rebus.———

Eradenda [f] 7 Cupidinis
Pravi ſunt 7 elementa, & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Firmandæ ſtudiis: neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer;
Venarique timet, ludere doctior,

Se

Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ.

Autborum Loca.] a Ov. Fast. *L.* 5. *v.* 172. b Ov. *Ep.* Phæd. *ad* Hippol. *v.* 41. c Virg. Æn. *L.* 9. *v.* 603. d Claud. *in* 3. Conſ. Hon. *v.* 39. e Hor. *L.* 3. *Od.* 2. *v.* 1. f Hor. *L.* 3. *Od.* 24. *v.* 51.

Honori Imperator. 3 *Theodoſius Imperator pater tuus.* 4 *Ita dicta ab inſulis Balearium, quarum incolæ fundæ peritiſſimi.* 5 *Ferocem & aſiæ gentem Romanis infenſam & equitandi peritiſſimam.* 6 *In aperto aere.* 7 *Extirpanda prætipia. Metaph.*

Notæ.] 1 *Priſti Latini.* 2 O

CAP. CIII.

Ruſtica vita optima.

Quàm [a]potiùs laudandus hic eſt, quem prole [paratâ,
Occupat in parvâ pigra ſenecta casâ.
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos,
Et calidam feſſo comparat uxor aquam.
Hic [b] petit, eſſe ſui, nec magni ruris arator;
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quiſquam picta colit 1 Spartani frigora ſaxi,
Et matutinum portat ineptus ave;
Cui licet exigui nemoris, ruriſque beati
Ante focum, plenas explicuiſſe plagas?
Et piſcem tremulâ ſalientem ducere ſetâ,
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis 2 inæquales onerat cui villica menſas;
Et ſua non emptus præparat ova cinis?
Non amet hanc vitam, quiſquis me non amat, opto;
Vivat & urbanis 3 albus in officiis.

O [c] fortunatos nimium, bona ſi ſua nôrint,
Agricolas! quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus, &c.
O [d] bona paſtoris; ſi quis non pauperis uſum
Mente priùs doctâ faſtidiat; & probet illis
Omnia luxuriæ preciis incognita curis,
Quæ lacerent avidas inimico pectore mentes.
Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis 4 opibus data 3 vellera; ſi nitor auri
Sub laqueare domûs, animum non angat avarum.
Quis magis optato queat eſſe beatior ævo,
Quàm qui mente procul purâ, ſenſuq; probando
Non avidas agnovit opes, non triſtia bella,
Nec funeſta timet validæ certamina claſſis?
Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas:
Securam & placido traducit pectore vitam.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut 6 priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet 7 ſuis,
Solutus omni fœnore:
Nec excitatur claſſico miles truci;
Nec horret iratum mare:
Forumque 9 vitat & ſuperba civium
Potentiorum limina, &c.

Non [f] alia magis eſt libera & vitio 10 carens,
Rituſque meliùs vita quæ 11 priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe 12 dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis;
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.

Non

Non ille regno ſervit, aut regno 14 imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes,
Spei metûſque liber; haud illum 15 niger
Edaxque 16 livor dente degeneri petit.
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat. —— &c.

Authorum Loca.] a Tib. *L.* 1. *El.* 11. *v.* 39. b Mart. *L.* 1. *Ep.* 56. c Virg. Geor. *L.* 2. *v.* 458. d Virg. Cul. *v.* 57. e Hor. Epod. 2. *v.* 1. f Sen. Hippol. *v.* 482.

Notæ.] 1 *Per Metaleps. pro frigora picti marmoris è Laconia advecti, quo divites atria ornabant, in quibus mane ambulabant clientes, intromitti ſalutatum expectantes.* 2 *Nempe cui pes tertius impar, Teſta parem fecit.* Ov. Metam. L. 8. 3. *Togâ albâ indutus ut Candidati, qui officium petebant.* 4 *Maximis, quales Attalus Rex Pergami ditiſſimus moriens populo Romano reliquit.* 5 *Veſtimenta è lana confecta. Meton.* 6 *A patre relicta, non ſuo labore parta.* 7 *Non conductis.* 8 *Tubæ ſonitu.* 9 *Loci ſtrepitum in quo cauſæ agi ſolent.* 10 *Non inſerviens curis avaritiæ, ambitionis, &c.* 11 *Sanctos primorum hominum mores.* 12 *Dedit & addixit.* 13 *Non meritis præmiis remunerans bonos.* 14 *Regnum affectans, & appetens.* 15 *Malus.* 16 Qui carpitque & carpitur unâ, *Ovid. Metam.* Lib. 2.

CAP. CIV.

Infelix conjugium inæquale.

1 PRonuba 2 Tiſiphone thalamis ululabit in illis,
Si quos non æquo fœdere junxit 3 Hymen.
Quàm [b] malè inæquales veniunt ad aratra juvenci;
Tam 4 premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor eſt ſed onus 5 ſpecies læſura ferentem:
Si qua voles aptè nubere, nube pari.
Tum [c] magis, ô nuptæ, ſemper concordia veſtras
Semper amor ſedes incolat aſſiduus.

Tam

Tam [d] bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo:
Maſſica 6 Theſeis 7 tam bene vina favis.
Non meliùs teneris junguntur vitibus ulni:
Non plus 8 lotos aquas; littora myrtus amat.
Candida perpetuo reſide, concordia lecto:
Tamque pari ſemper ſit Venus æqua jugo.

Uxorem [e] quare locupletem ducere nolim
Quæritis? Uxori 9 nubere nolo meæ.
Inferior 10 matrona ſuo ſit quæque marito:
Haud aliter fuerint fœmina virque pares.

Conjux [f] modico nupta marito,
Non diſpoſito clara monili
Geſtat pelagi dona rubentis;
Nec gemmiferas detrahit aures,
Lapis Eoâ lectus in undâ:
Sed non dubios fovet illa toros.

Authorum Loca.] a Ov. *Ep.* Phyl. *ad* Demoph. *v.* 117. b Ov. *Ep.* Deian. *ad* Herc. *v.* 29. c Catul. *de* coma Beren. *v.* 87. d Mart. *L.* 4. *Ep.* 13. e Mart. *L.* 8. *Ep.* 12. f Sen. Herc. Oet. *v.* 658.

Notæ.] 1 *Junonis loco; quæ Dea nuptiis præfuit.* 2 *Furiarum una.* 3 *Nuptiarum Deus.* 4 *Obruitur aut premitur.* 5 *Matrimonii dignitas.* 6 *Optima è Maſſico Campaniæ monte.* 7. *Atticis. Theſeus enim Athenienſium rex.* 8 *Arbor.* 9 *Subjici, nam propriè vir nubit fœmina.* 10 *Authoritate ſolâ, ſed par quoad omnia cætera.*

CAP.

CAP. CV.

Ex humili loco evecti ferociunt.

[a]SÆpe rogare ſoles, ſim qualis, amice, futurus;
Si fiam locuples, ſimque repente potens.
Quemquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu 1 leo, qualis eris?
———Regnabit [b] ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab 2 exilio.

Aſperius [c] nihil eſt humili, cùm ſurgat in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet; deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putent; nec bellua tetrior ulla,
Quàm ſervi rabies, in 3 libera terga furentis.
Agnoſcit gemitus; & pœnæ parcere neſcit
Quam ſubiit; dominiq; memor, quem verberat, odit.
Qualis [d] & humani ſimulator ſimius oris,
Quem puer arridens pretioſo ſtamine 4 Serum
Velavit; nudaſque nates ac terga reliquit:
Ludibrium menſis, erecto pectore, dives
Ambulat; & claro ſeſe deformat amictu.
Mente [e] feror, 5 laribus parvis, & paupere terrâ,
Miſſus in imperium magnum.—

Ibericis [f] 6 peruſte 7 funibus latus,
Et crura durâ compede:

Licèt

Licèt ſuperbus ambules pecuniâ
Fortuna non mutat genus.

Autborum Loca.] a Mart. *L.* 12. *Ep.* 94. b Vid. Sueton. vit. Tib. *c.* 59. c Claud. *in* Eutrop. *L.* 1. *v.* 181. d Id. *v.* 303. e Virg. Æn. *L.* 6. *v.* 811. f Hor. Epod. *L. Od.* 4. *v.* 3.

Notæ.] 1 *Potus nam potentes pauperes lacerant, at imbelle pecus leo.* 2 *Ut Tiberius Cæſar, de quo ſcriptum erat veriſſime.* 3 *In ingenui terga.* 4 *Serico, quod ita dictum quia Seres Indiæ populi conficiebant.* 5 *Domo.* 6 *Ex Iberiâ advectis.* 7 *O Mena qui babes latus Peruſtum. Mena enim erat primo libertus Pompeii: mox ab Auguſto Tribunus factus.*

CAP. CVI.

Fortes creantur fortibus.

EST, mihi crede, [a] boni ſoboles ſincera parentis;
Et patris mores natus, ut ora, refert.
Acris [b] equi ſoboles ſic magno 1 pulvere gaudet:
Et vitulus molli 2 prœlia fronte cupit.

Invalidi [c] patrum referent 3 jejunia 4 nati:
Continuò [d] at pecoris generoſi pullus in arvis
Altiùs ingreditur, & mollia crura 5 reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto;
Nec vanos horret ſtrepitus.——
Cui [e] genus à proavis ingens, clarumq; paternæ
Nomen ineſt virtutis, & ipſe acerrimus armis.

Fortes [f] creantur fortibus: & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

Generoſa

Generoſa [8] in ortus ſemina 6 exurgunt ſuos:
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primiſque nondum cornibus findens cutem,
Cervice ſubitò celſus, & fronte arduus,
Gregem 7 paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæſo virga de trunco ſtetit,
Par ipſa 8 matri tempore exiguo ſubit;
Umbraſque terris reddit, & cœlo nemus.

Autborum Loca.] [a] Mart. *L.* 6. *Ep.* 25. b Id. *Ep.* 38. c Virg. Georg. *L.* 3. *v.* 128. d Id. *v.* 75. e Virg. Æn. *L.* 12. *v.* 225. f Hor. *L.* 4. *Od.* 4. *v.* 29. g Sen. Troad. *v.* 536.

Notæ.] 1 *Equis in Circo certantibus excitato.* 2 *In pugnam prurit. Mart.* 3 *Pulli equini.* 4 *Paternæ maciei notas.* 5 *Reducit alterno crurum explicatu.* 6 *Creſcunt, ut parentes ſuos referant.* 7 *Quem taurus pater duxerat.* 8 *Arbori.*

CAP. CVII.

Honos alit artes.

[a] SÆpe mihi dicis (Luci clariſſime Juli)
Scribe aliquid magnum, deſidioſus homo es.
Otia da nobis: ſed 1 qualia fecerat olim
Mæcenas 2 Flacco, 3 Virgilioque ſuo.
Condere victuras tentem per ſæcula chartas,
Et nomĭen flammis eripuiſſe meum.
Ingenium [b] ſacri miraris abeſſe Maronis?
Nec quenquam tantâ bella ſonare tubâ?
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones:
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Ipſe [c] per Auſonias Æneïa 5 carmina gentes

Qui

Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum;
Mæoniumque 6 ſenem 7 Romano provocat ore;
Forſitan illius nemoris 8 latuiſſet in umbrâ
Quod canit; & 9 ſterili tantùm cantâſſet avenâ.
Ignotus populis; ſi Mæcenate careret.
Qui 10 tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec ſua Virgilio permiſit Numina ſoli.
Mæcenas tragico quatientem pulpita geſtu
Erexit 11 Varium; Mæcenas alta Tonantis
Eruit, & populis oſtendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam reſonantia chordis,
Auſoniamq; 12 chelyn gracilis 13 patefecit Horatî.
Creſcite, [d] virtutes; fœcundaque floreat ætas:
Ingeniis patuit campus: certuſque merenti
Stat favor: ornatur propriis induſtria donis.
Surgite ſopitæ, quas obruit ambitus, artes.
——Nam [e] munera vobis [nemo.
Certa manent, pueri; & 14 palmam movet ordine

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 1. *Ep.* 108. b Id. *L.* 8. *Ep.* 56. c Luc. Paneg. *ad* Piſon. *v.* 218. d Claud. *de* Conſ. Mallii Theod. *v.* 261. e Virg. Æn. *L.* 5. *v.* 348.

Notæ.] 1 *Agris & pecuniis locupletata, quo melius Muſis vacaret.* 2 *Eques Romanus Auguſto charus, & doctorum Patronus celeberrimus.* 3 *Horatio.* 4 *Virgilius.* 5 *Æneida, carmen de geſtis Æneæ.* 7 *Homerum* | *ita dictum à patriâ Mæoniâ.* 7. *Eloquentia Romana.* 8 *Incognitus manſiſſet.* 9 *Nil lucri illaturo.* 10 *Mæcenas.* 11 *Eximium Tragœdiarum ſcriptorem.* 12 *Carmina Lyrica Horatii primum latinè ſcripta: Auſonia enim vetus Italiæ nomen.* 13 *Publicè notam fecit.* 14 *Victoriæ præmium, cujus inſigne erat corona è palmæ frondibus.*

CAP.

CAP. CVIII.

Sine Venere ruit mundus.

[a] ALma Venus totum digniſſima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora Deo.
Juraque dat cœlo, terræ, & 1 natalibus undis:
Perque ſuos 2 initus continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum eſt numerare) creavit;
Illa ſatis cauſas arboribuſque dedit:
Illa rudes animos hominum contraxit in unum;
Et docuit jungi cum pare quemq; ſuâ. [Voluptas?
Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda
Nec pariunt pecudes, ſi levis abſit amor.
Cum mare trux aries cornu decertat: & idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.
Depoſitâ ſequitur taurus feritate juvencam,
Quem toti ſaltus, quem nemus omne tremit.
Vis eadem, lato quodcunque ſub æquore vivit,
Servat; & innumeris piſcibus implet aquas.

Æneadum [b] genetrix 3, hominum divûmq; voluptas,
Alma Venus, per te quoniam genus omne animantûm,
Concipitur; viſitque exortum lumina ſolis:
Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum, percuſſæ corda tuâ vi.
Inde feræ pecudes perſultant pabula læta;
Et rapidos tranant amnes; ita capta lepore
Illecebriſque tuis omnis natura animantûm,
Te ſequitur cupidè, quò quamq; inducere pergis.
Deniq; per maria & montes, fluvioſq; rapaces,

Frondi

Frondiferaſq; domos avium, campoſque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupidè generatim ſæcla propagent.

Excedat [c] agedum rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus,
Orbis jacebit ſquallido turpis ſitu.
Vacuum ſine ullis piſcibus ſtabit mare:
Aleſque cœlo deerit, & ſylvis fera:
Solis & aër pervius ventis erit.
Venerem [d] eſſe vitæ maximam cauſam reor.
Per quam voluptas oritur; interitu caret;
Cùm procreetur ſemper humanum genus
Amore blando; cœlibem at vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit, quicquid vides,
Unius 4 ævi turba; & in 5 ſemet ruet.

Authorum Loca.] a Ov. Faſt. *L.* 4. *v.* 91. b Lucret. *L.* 1. *v.* 1, 4, & 12. c Sen. Hippol. *v.* 468, & *infra.* d Sen. Octav. *v.* 567.

Notæ.] 1 *Undis maris, quarum ſpumâ ipſa Venus orta.* 2 *Acceſſus.* 3 *Romanorum ab Æneâ Veneris filio ortorum.* 4 *Per unius ſolummodo ævi ſpatium manebit ſine fœminis.* 5 *In primum ortum relabetur.*

CAP.

CAP. CIX.

Splendida regum miseria.

[a] QUiſquamne regno gaudet; ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quàm blandâ [tegis?
Ut alta ventos ſemper excipiunt juga;
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta,
Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa fortunæ 1 objacent.
Fulgore [b] primo captus, & fragili bono
Fallacis aulæ, quiſquis attonitus ſtupet,
Subito labantis ecce Fortunæ impetu
Modò præpotentem cernat everſam domum,
Stirpemque 2 Claudii, cujus imperio fuit
Subjectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, & recepit invitus rates.
Quicunque [c] regno fidit, & magnâ potens
Dominatur aulâ; nec leves metuit Deos:
Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me 3 videat, & te, Troja: non unquam tulit
Documenta ſors majora, quàm fragili loco
Starent ſuperbi: columen everſum occidit
Pollentis Aſiæ, cœlitum egregius labor.

O [d] Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis in præcipiti,
Dubioque nimis excelſa locas.
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumve ſui tenuêre diem, &c.
Ceſpes [e] Tyrio mollior oſtro
Solet impavidos ducere ſomnos:

Aurea

Aurea rumpunt tecta quietem;
Vigileſque trahit purpura noctes.
O ſi 4 pateant pectora ditum!
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus? Brutia 5 Coro
Pulſante fretum mitior unda eſt.
Pectora pauper ſecura gerit;
Tenet è patulâ pocula ſago;
Sed non trepidâ tenet illa manu:
Carpit faciles vileſque cibos,
Sed non ſtrictos reſpicit enſes:
Aurea miſcet pocula ſanguis.

Authoris Loca.] a Sen. Oedip. *v.* 6. b Id. Octav. *v.* 35. c Id. Troad. *v.* 1. d Id. Agam. *v.* 57. e Id. Herc. Oet. *v.* 644.

Notæ.] 1 *Expoſita ſunt.* 2 *Imperatoris Romani.* 3 *Hecubæ de ſe verba poſt Trojæ excidium.* 4 *Si penetrarent corda oculis inſpicienda patorent.* 5 *Vento.*

CAP. CX.

Amor fugat negotium.

[a] MUneris 1 ipſe ſui curam, ſtudiumq; relinquit,
Deditus imperiis, ſæve Cupido, tuis.
Captus [b] amore tuo demens, 2 Aquilina, ferebar,
Pallidus & triſtis, captus amore tuo.
Carmina pulſa procul, quondam dilecta, jacebant:
Solus amor cordi, curaque ſemper erat.

Hauſerat [c] inſolitos 3 promiſſæ virginis ignes
Auguſtus, pronoque rudis flagraverat æſtu,

Nec

Nec novus unde calor, nec quid ſuſpiria vellent,
Noverat incipiens, & adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non ſpicula cordi,
Non jaculum torquere libet; mens omnis oberrat
In vultus, quos finxit amor.———
Uritur [d] infelix 4 Dido, totâque vagatur
Urbe furens:———
Non cœptæ aſſurgunt 5 turres; non arma juventus
Exercet, portuſve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta; 6 minæq
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Ah * Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosâ vitis in ulmo eſt.

Lydia [f] dic 7, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit 8 campum, patiens pulveris atque ſolis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, 9 Gallica nec lupatis
Temperat ora frænis, &c.

Authorum Loca.] [a] Corn. Gall. *El.* 5. *v.* 43. [b] Id. *El.* 3. *v.* 5. & *v.* 11. [c] Claud. *de* Nupt. Hon. & Mar. *v.* 1. [d] Virg. Æn. *L.* 4. *v.* 68, & 86. [e] Virg. Eclog. 2. *v.* 69. [f] Hor. *L.* 1. *Od.* 8. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Officii.* 2 *Corn. Galli amica.* 3 *Amorem ſibi inaſſuetum. Metaph.* 4 *Amore Æneæ ardet.* 5 *Turres Carthaginis modo à Didone incœptæ.* 6 *Murorum pinnæ, unde boſtibus minantur propugnatores: vel moles imperfectæ, quæ ruinam ſuo minantur caſu.* 7 *Mulier quam deperiit Sybaris.* 8 *Campum Martium in quo Romani juvenes ſe exercebant.* 9 *Equos Gallicos. Seneca.*

CAP.

CAP. CXI.

Invidia ferit optima.

[a]SUmma petit livor; perflant altiſſima venti;
Summa petunt dextrâ fulmina miſſa Jovis.
Ingenium magni detractat Livor Homeri:
Quiſquis es, ex illo, 1 Zoile, nomen habes.
Et tua ſacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos, 2 quo duce, Troja Deos.
Orphêos [b] alii 3 libros impune laceſſunt:
Nec tuà ſecurum te, 4 Maro, fama vehat.
Ipſe parens vatum, princeps Heliconis, Homerus
Judicis excepit 5 tela ſevera notæ.
Rumpitur [c] invidiâ quidam, chariſſime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidiâ.
Rumpitur invidiâ, quod turbâ ſemper in omni
Monſtramur 6 digito; rumpitur invidiâ.
Dummodo ſic placeam, dum toto canter in orbe,
Quod volet, impugnent unus & alter opus.
Laudat [d], amat, cantat noſtros 7 mea Roma libellos:
Meque 8 ſinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet 9 quidam, pallet, ſtupet, oſcitat, odit:
Hoc volo: 10 nunc nobis carmina noſtra placent.

Invidiæ [e] domus eſt imis in vallibus antri;
Sed quoquò ingreditur, florentia proterit arva,

Exu-

Exuritque herbas, & ſumma 11 papavera carpit.
Quòd non livor adit?

Authorum Loca.] a Ov. Rem. Amor. *L.* 1. *v.* 69, *& ſupra.* b Claud. Deprec. *ad* Aleth. *v.* 11. c Mart. *L.* 9. *Ep.* 99. d Mart. *L.* 6. *Ep.* 61. e Ov. Met. *L.* 2. *v.* 761, *& v.* 791.

Notæ.] 1 *Qui Homeri carmina carpſiſti, unde dictus Homeromaſtix.* 2 *Virgilium intelligit, qui Æneæ in Italiam adventum, cum Deis Trojæ victis, cecinit.* 3 *Orphei Græcorum Poëtarum primi carmina.* 4 *Virgili.* 5 *Cenſuram telo acutiorem.* 6 *Ut egregius Poëta.* 7 *Mihi amica.* 8 *Librum meum.* 9 *Invidus.* 10 *Quia optima quæ invido diſplicent.* 11 *Eminentiſſima carpit ingenia.*

CAP. CXII.

Pietas & in hoſte probanda.

[a]SÆpe fidem adverſis etiam laudavit in armis;
Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.
Scilicet [b] in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviſo Cæſar in hoſte probat.
Nec ſolet iraſci (nec enim moderatior alter)
Cùm quis in adverſis, ſi quid amavit, amat.
De 1 comite Argolici poſtquam cognovit Oreſtæ,
Narratur Pyladen ipſe probâſſe 2 Thoas.
Quæ fuit 3 Actoridæ cum magno ſemper Achille,
Laudari ſolita eſt 4 Hectoris ore fides.
Quòd pius ad manes Theſeus comes îſſet 5 amico,
Tartareum 6 dicunt indoluiſſe Deum.
Euryali 7 Niſique fide tibi, 8 Turne, relatâ,
Credibile eſt lacrymis immaduiſſe 9 genas.
Eſt etiam miſeris pietas, & in hoſte probatur:
Et laudem invito abs exprimet ore fides.

Authoris Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 39. b Id. *El.* 8. *v.* 23.

Notæ.] 1 *Pylade.* 2 *Utcumque hoſtis illi crudeliſſimus.* 3 *Patroclo Actoris filio Achilli chariſſimo.* 4 *Trojanorum Ducis Achilli infenſiſſimi.* 5 *Piritho.* 6 *Plutonem Inferorum regem.* 7 *Qui juvenes Trojani, par amicorum nobiliſſimum.* 8 *Rutulorum rex, utrique inimice.* 9 *Fidam, ſed calamitojam lugentes amicitiam.*

H CAP.

CAP. CXIII.

Aurea mediocritas tuta.

[gerendum:

[a]OMNE nocet nimium, mediocriter omne
Major [b] enim mediis gratia rebus ineſt.
Inter [c] utrumque tene: medio tutiſſimus ibis.
Eſt [d] virtus medium quæ tenuiſſe juvat.
Hoc cautè audacem monuiſti, Dædale, 1 natum:
Inter 2 utrumque vola: me duce, tutus eris.
Nam [e] ſive æthereas vicino ſole per auras
Ibimus; impatiens cera caloris erit.
Sive humiles propiore freto jactabimus alas;
Mobilis æquoreis penna madeſcet aquis.
Sed puer, incautis nimiùm temerarius annis
Altiùs egit iter; deſeruitque patrem.
Vincla labant: & cera Deo propiore liqueſcit:
Nec tenues ventos brachia mota tenent.
Dum petit infirmis nimiùm ſublimia pennis
Icarus; Icariis nomina fecit aquis.

Eſt [g] modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.
Virtus [h] eſt medium vitiorum: & utrinq; reductum.
[probamus.
Illud [i], quod medium eſt, atque inter utrumque

Rectiùs [k] vivet ſapiens, nec 3 altum

Semper

Semper urgendo: neque, dum procellas
Cautus horreſcit, nimiùm 4 premendo
Littus 5 iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit; tutus caret 6 obſoleti
Sordibus tecti; caret 7 invidendâ
Sobrius aulâ.

Quiſquis [l] medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patrioque 8 puer 9 conſtitit 10 axe,
Nec per ſolitum decurrit iter,
Sed Phœbeis ignota ſecat
Sidera flammis errante rotâ,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli dum ſulcat iter
Tenuit placitas Dædalus oras;
Nullique dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, Phœboque volat
Proximus ipſi; dedit ignoto
Nomina ponto.
Modicis [m] rebus longius ævum eſt.
Felix, mediæ quiſquis turbæ
Sorte quietus, ———
Aura ſtringit littora tutâ;
Timiduſque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.
Tuta [n] me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.

Quicquid ° exceſſit modum,
Pendet inſtabili loco.

Autborum Loca.] a Verſus ſatis notus. b Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 82. c Ov. Met. *L.* 2. *v.* 140. *& ſupra.* d Carm. Gul. Lilii. *de Moribus. v.* 46. e Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 59. *& v.* 83. f Id. Triſt. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 89. g Hor. *L.* 1. *Sat.* 1. *v.* 106. h Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *v.* 9. i Mart. *L.* 1. *Ep.* 58. k Hor. *L.* 2. *Od.* 10. *v.* 1. l Sen. Her. Oet. *v.* 675. m Sen. Agam. *v.* 103. n Sen. Oed. *v.* 890. o Id. *v.* 909.

Notæ.] 1 *Icarum.* 2 *Medius inter ſolem & mare.* 3 *Sublime appetendo.* 4 *Tangendo.* 5 *Periculoſum.* 6 *Caſæ humilis & antiquæ.* 7 *Invidiæ obnoxia.* 8 *Phœbi patris.* 9 *Phaëthon.* 10 *Curru.*

CAP. CXIV.

Deus, quippe qui omnipotens, non negligendus.

[a]NIL adeo validum eſt, adamas licèt alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.
Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit,
Non ſit ut inferius, ſuppoſitumque Deo.
Quòd [b] ſi negligitur, magnis injuria pœnis
Solvitur, (ut facile eſt omnia poſſe Deo.)
Sæpe Deos aliquis peccando fecit 1 iniquos;
Vix pro delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, cùm jam ſua mittere vellet
Fulmina; thure dato, ſuſtinuiſſe manum.
Reſpice 2 Theſtiaden: flammis abſentibus arſit;
Cauſa eſt, quod Phœbes ara ſine igne fuit.
Reſpice 3 Tentaliden: eadem 4 Dea 5 vela tenebat;
Virgo eſt: & ſpretos bis tamen ulta 6 focos.
Hippolyte infelix, velles coluiſſe 7 Dionen;
Cum conſternatis deripereris equis.

Longa

Longa referre mora est correcta oblivia damnis;
Neglecti usque adeò Numinis ira furit.

Scilicet [e] immensa est, finemq; potentia cœli
Non habet; & superi quicquid voluêre, peractum est.

Delicta [d] majorum immeritus lues,
Romane, 8 donec templa refeceris,
Ædesque labentes deorum, &
Fœda nigro 9 simulachra fumo.
Dîs te minorem quod geris, imperas:
Hinc 10 omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiæ 11 mala luctuosæ.
——— Sæpe [e] 12 Diespiter
Neglectus 13 incesto addidit integrum:
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede 14 pœna claudo.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. L. 4. El. 8. v. 45. b Ov. Fast. L. 5. v. 303, & 299, & 305. c Ov. Met. L. 8. v. 619. d Hor. L. 3. Od. 6. e Id. Od. 2. v. 29.

Notæ.] 1 *Iratos.* 2 *Meleagrum Thestii ex Althæâ nepotem, quæ stipitem in quo servato ejus posita erat salus, igni injecit.* 3 *Agamemnonem Tantali pronepotem.* 4 *Phœbe seu Diana.* 5 *Agamemnonis Trojam profecturi.* 6 *Aras sine thure.* 7 *Venerem.* 8 *O gens Romana.* 9 *Deorum imagines.* 10 *A pietate erga Deos.* 11 *Italiæ incolis.* 12 *Jupiter diei Pater.* 13 *Impio pœna eadem pium conjunxit.* 14. *Nam culpam pœna premit comes.*

CAP. CXV.

Invitum ſervare difficillimum.

[a] COnjugis audîſſet fatum cùm 1 Porcia 2 Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma 3 dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe 4 patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas:
I nunc, & ferrum, turba 5 moleſta, nega.

Leti [b] voluntas nulla continget mihi?
Mori volenti deeſſe nunquam mors poteſt.
Prohibere [c] ratio nulla periturum poteſt,
Ubi quis mori conſtituit, & debet mori.
——Morte [d] prohibere haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapſo vias
Cludes? & arctis colla laqueis inſeri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum, auferes?
Quid iſta tandem cura proficiet tua?
Ubiquè mors eſt: optimè hoc cavit Deus;
Eripere vitam 6 nemo non homini poteſt:
At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.
Fruſtra [e] tenetur ille, qui ſtatuit mori.

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 1. *Ep.* 43. b Sen. Hippol. *v.* 877. c Sen. Hippol. *v.* 265. d Sen. Theb. *v.* 146. e Sen. Her. Oet. *v.* 922.

Notæ.] 1 *Catonis filia, Bruti uxor.* 2 *Pugna Philippica contra Cæſarem & Antonium occiſi.* 3 *Amiſſi viri.* 4 *Catonem, qui ſibi mortem conſcivit, vulnere à medicis ligato, ſuaque manu reſciſſo.* 5 *Famulorum gladium detrabentium.* 6 *Quivis unus.*

CAP.

CAP. CXVI.

Felices sequeris, mors, miseros fugis.

[a]DUlce mori miseris, sed mors optata recedit:
At quum tristis erit, præcipitata venit.
Non [b] letum 1 timeo, genus est miserabile leti:
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Integer [c] hanc potui nuper bene reddere lucem;
Exul ut occiderem, nunc mihi vita data est.
Hei [d] mihi quod nostri toties 2 pulsata sepulchri
Janua; sed nullo tempore 2 aperta fuit.
Hic [e] 3 ego solicitæ jaceo novus incola sedis.
Heu nimium fati tempora longa mei!
Leuconicis [f] 4 agedum tumeat tibi culcita lanis;
Constringatque tuos purpura texta toros:
Candida [g] Setini 5 rumpant 6 crystalla trientes:
Dormiat in plumâ nec meliore 7 Venus:
O [h] quàm tu cupies ter vivere 8 Nestoris annos!
Et nihil ex 9 illâ perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam,
Felici nunquam 10 stamina longa nimis.

O vita misero longa: felici brevis;
Fœlices [i] sequeris, mors; miseros fugis.

Autborum Loca.] a Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 115. b Ov. Trist. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 51. c Id. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 35. d Ov. Trist. *L.* 3. *El.* 2. *v.* 23. e Id. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 85. f Mart. *L.* 11. *Ep.* 57. g Mart. *L.* 10. *Ep.* 13. h Mart. *L.* 11. *Ep.* 57. i Sen. Herc. Oet. *v.* 122.

Notæ.] 1 *Verba Ovidii de se, mari jactato, & in exilium misso.* 2 *Toties mortis periculo adito, ipsa morte nunquam.* 3 *Inter gentes Scythicæ.* 4. *Optimis ita dictis à candore.* 5 *Vina optima à Setia.* 6 *Pocula crystallina.* 7 *Quæ in olorina cubat.* 8 *Qui ad tertiam ætatem hominum vivebat.* 9 *Ita fœlici.* 10 *Vitæ spatium.*

CAP. CXVII.

Impatiens rivalis amor.

[a] TU mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A dominâ tantùm te modò tolle mea.
Te ſocium vitæ, te corporis eſſe licebit:
Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te ſolùm, lecto te deprecor uno:
Rivalem poſſum non ego ferre Jovem.
Ipſe meas ſolus, quod nil eſt, æmulor umbras
Stultus, quod ſtulto ſæpe timore tremo.
Eripitur [b] nobis jam pridem cara puella:
Et tu me lacrymas fundere, amice, vetas?
Nullæ ſunt inimicitiæ, niſi amoris, acerbæ.
Ipſum me jugula; 1 lenior hoſtis ero.
Poſſum ego in alterius poſitam ſpectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modò dicta mea eſt?
Hic olim ignaros 2 luctus populavit Achivos:
Atridæ magno cùm ſtetit alter amor.
His olim (ut fama eſt) vitiis ad prœlia ventum eſt;
His Trojana vides funera principiis.
Aſpera Centauros eadem dementia juſſit
Frangere in adverſum pocula Pirithoum.
Ille [c] etiam abreptâ deſertus conjuge Achilles
Ceſſare 3 in tectis pertulit arma ſua:
Omnia formoſam propter 4 Briſeïda paſſus:
Tantus in erepto ſævit amore dolor!

Impatiens

Impatiens consortis erit sic summa potestas:
Non [d] bene cum sociis regna Venusque manet.

Nec [e] regna socium ferre, nec 5 tedæ sciunt.

Venere [f] instincti, quàm magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci?
Si 6 conjugio timuere suo;
Poscunt 7 timidi prœlia cervi.
Et mugitu dant concepti
Signa 8 furoris.——

uthorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 34. *v.* 13. [b] Prop. *L.* 2. *El.* 8. *v.* 1. c Id. *L.* 2. *El.* 8. *v.* 29. d Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 564. e Sen. Agamem. *v.* 259. f Sen. Hippol. *v.* 339.

Notæ.] 1 *Placabilior.* 2 *Achillis ob amicam ab Agamemnone ereptam dolor.* 3 *Otiosa jacere.* 4 *Sibi ereptam.* 5 *Nuptiæ, quibus tedæ solebant gestari.* 6 *Cervæ conserti fœminæ.* 7 *Natura sua timidi, amore audaces.* 8 *Rabiei amoris rivali excitatæ.*

CAP. CXVIII.

Sibi imperare, imperium maximum.

[a] FOrtior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Castra, ducum victor, victor & ipse sui.
Hæc [b] mihi devictis potior victoria 1 Parthis:
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erit.
Vis [c] fieri liber? mentiris, ineptule, non vis:
Sed fieri si vis; hâc ratione potes.

Si ridere potes miſeri [2] chryſendeta [3] Cinnæ:
Contentus tritâ ſi potes eſſe togâ:
Hæc tibi ſi vis eſt: ſi mentis tanta [4] poteſtas:
Liberior [5] Partho vivere rege potes.
Libertas [d] verò nulli jam reſtat amanti:
Nullus liber erit; ſi quis amare volet.
Hæc [e] eſt præcipuo victoria digna triumpho,
Non [f] ſervum vitiis pectus habere tuum.

Quiſnam [g] igitur liber? ſapiens, ſibi qui imperioſus:
[terrent:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus.
Tu [h] licèt extremos latè dominere per 6 Indos,
Te 6 Medus; te mollis 6 Arabs, te 6 Seres adorent:
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris irâ;
Servitii patiere jugum: tolerabis iniquas
Interiùs [7] leges: tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris rex eſſe tui.———

Latiùs [i] regnes avidum domando
Spiritum 8, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus 9 jungas; & uterque 10 Pœnus
Serviat uni.

Regem [k] non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis 11 nota regiæ,
Non auro nitidæ fores.
Rex eſt qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris.

Quem

Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Mens regnum bona poſſidet.
Rex eſt qui metuit nihil:
Rex eſt qui cupiet nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Immane [1] regnum eſt, poſſe ſine regno 12 pati.

Authorum Loca.] a Ex Auſon. *(ſi memini)* b Prop. *L.* 2. *El.* 11. *v.* 23. c Mart. *L.* 2. *Ep.* 53. d Prop. *L.* 2. *El.* 18. *v.* 79. e Ov. Am. *L.* 2. *El.* 12. *v.* 5. f Ov. Rem. Am. *v.* 54. g Hor. *L.* 2. *Sat.* 7. *v.* 83. h Claud. *de* 4 Conſ. Honor. *v.* 257. i Hor. *L.* 2. *Od.* 2. *v.* 9. k Sen. Thyeſt. *v.* 345, & *v.* 388. l Id. *v.* 470.

Notæ.] 1 *Pluris facienda, quàm victoria de Parthis bellicoſo Aſiæ populo, Romanis infenſiſſimo.* 2 *Vaſa aurea gemmis ornata.* 3 *Divitiis qui chryſendeta admiratus eſt.* 4 *Tantum in te imperium.* 5 *Qui libertatem acerrimè propugnabat.* 6 *Aſiæ gentes.* 7 *In animo tuo.* 8 *Animi affectum.* 9 *Inſulæ Hiſpaniæ.* 10 *Utraque Carthago cùm in Africâ tum in Hiſpaniâ.* 11. *Corona, ſeu diadema.* 12 *Facile poſſe carere regno.*

CAP. CXIX.

Deſine lugendi: non fas revocare ſepultos.

[a]DEſine defuncti lacrymis urgere ſepulchrum:
Panditur ad nullas 1 janua nigra preces.
Cùm ſemel infernas intrârunt funera leges,
Non exorato ſtant 2 adamante viæ:
Te licèt orantem fuſcæ Deus audiat aulæ;
Nempe tuas lacrymas littora ſurda bibent.
Vota movent ſuperos: ubi 3 portitor 4 æra recepit,
Obſerat herboſos lurida porta rogos.

Supprime [b] jam lacrymas: non eſt revocabilis illis,
Quem ſemel umbriferâ navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere ſorores;
Et pater, & conjux, Aſtyanaxque puer;
Et longæva parens; tamen ille 5 redemptus ad ignes:
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam 6 Thetidi: populator Achilles
Iliaca ambuſtis oſſibus arva premit.
Huic 7 Panope crinem ſolvit: longævaque magni
Oceani 8 conjux fletibus auxit aquas; [omnes
Et Thetis ante omnes: ſed nec Thetis ipſa, nec
Mutarunt avidi triſtia jura 9 Dei.
Tam rigidum jus eſt & inevitabile mortis!
Stant rata non ullâ fila tenenda manu.

Soles [c] occidere & redire poſſunt:
Nobis quum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetuò una dormienda.

Cùm [d] ſemel occideris, & de te ſplendida 9 Minos
Fecerit arbitria:
Non illuſtre genus, nec te facundia, nec te
Reſtituet pietas:
Infernis nec enim tenebris 10 Diana pudicum
Liberat Hippolytum.
Nec 11 Lethæa valet 12 Theſeus abrumpere charo
Vincula 13 Pirithoo.

Non [e] vanæ redeat ſanguis imagini;
Quam virgâ ſemel horridâ

Non

Non 14 lenis precibus 15 fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 4. *El.* 12. *v.* 1. b Pedon. *El.* in obit. Druſi. *v.* 427. c Catul. carm. 5. d Hor. *L.* 4. *Od.* 7. *v.* 21. e Hor. *L.* 1. *Od.* 24. *v.* 15.

Notæ.] 1 *Inferni oſtium.* 2 *Viæ clauſæ adamante, quæ ut pateant nullis precibus exores.* 3 *Charon qui animas trans Styga vehit.* 4 *Naulum tranſvectionis pretium.* 5 *Cadaver ab Achille redemptum à patre Priamo ad ſepulturam.* 6 *Achillis matri.* 7 *Marina Nympha.* 8 *Tethys.* 9 *Plutonis Inferorum Dei.* 10 *Quamvis dea & virgo.* 11 *Inferna, nam Lethe fluvius apud inferos.* 12 *Etſi ad inferos ea cauſa deſcendebat.* 13 *Amico ſuo.* 14 *Non ea lenitate ut fati nexus reſolvat.* 15. *Nempe ut mortui reviviſcant.*

CAP. CXX.

Nemo ſe fugit.

[uſque

[a]QUò fugis, ah demens? nulla eſt fuga: tu licèt
Ad 1 Tanaïm fugias, uſq; ſequetur amor.
Non, ſi 2 Pegaſeo vecteris in aëra dorſo:
Nec, tibi ſi Perſei moverit ala pedes:
Vel, ſi te ſectæ moveant talaribus auræ;
Nil tibi 4 Mercurii proderit alta via.
Per [b] mare, per terras, peregrinaq; flumina curris:
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi cauſa fugæ? quid 5 Io freta longa pererras?
Non poteris 6 vultus effugere ipſa tuos.
Inachi 7, quò properas? eadem ſequeriſq; fugiſq;
Tu tibi dux comiti: tu comes ipſa duci.

Cur [c] alio patriam quærunt ſub 8 ſole jacentem?
Exilioq; domos, & dulcia limina mutant? [currunt.
Cœlum [d] 9, non animum mutant, qui trans mare

In

In [e] culpâ eſt animus, qui ſe non effugit unquam.
Exit [f] ſæpe foras magnis ex ædibus ille,
Eſſe domi quem pertæſum eſt: ſubitoq; revertit:
Quippe foris nihilo melius quia ſentiat eſſe.
Mox etiam properans urbem petit, atque reviſit.
Hoc ſe quiſq; modo fugit: at quem ſcilicet, ut ſit,
Effugere haud potis eſt: ingratis hæret, & angit.

——Quid [g] terras [8] alio calentes
Sole mutamus? Patriæ Quis exul
Se quoque fugit?

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 23. *v.* 53. b Ov. *Ep.* Hypermneſt. *ad* Lin. *v.* 101. c Virg. Georg. *L.* 2. *v.* 511. d Hor. *L.* 1. *Ep.* 11. *v.* 27. e Hor. *L.* 1. *Ep.* 14. *v.* 13. f Lucrèt. *L.* 3. *v.* 1073, & 1080. g Hor. *L.* 2. *Od.* 16. *v.* 18.

Notæ.] 1 *Ultimas Europæ partes quas fluvius Tanais ab Aſia diſterminat.* 2 *Alato Perſei equo.* 3 *Si Perſei talaria te volare fecerint.* 4 *Dei alati.* 5 *Jovi amata, eoque à Junone in vaccam mutata totum pererravit orbem.* 6 *Bovis.* 7 *O Io filia Inachi.* 8 *Eodem Sole, ſed qui videtur ibi alius, ſic Hor. Carm. Sæc.* aliuſque & idem Naſceris ſemper. 9 *Aëra.*

CAP. CXXI.

Memor eſto brevis ævi.

CRede mihi [a] vitæ non eſt fiducia noſtræ
Certa ſatis; licet at de brevitate queri.
Rebus [b] in humanis nulla eſt conſtantia certa:
Veridico vates 1 Cêus ut ore canit.
Non minùs eſt foliis hominum gens fluxa caducis;
Pauci, ubi ceperunt auribus iſta, ſuis

Pectoribus

Pectoribus fixêre: animis namq; indita quondam
Spes teneris blandè credula corda fovet.
Et dum læta viret jucundo flore juventa,
Percurſant animos irrita multa leves.
Nec ſenium mortemve pavet; neq; corpore ſano
Provida venturi cura doloris adeſt.
O malè ſtultorum mens credula; qui brevis ævi
Tempora non nôrint quàm fugitiva volant.
At tu præmonitus, nigra ad confinia volant.
Lætus age; & 2 Genio gratificare tuo.
An [c] ſcimus miſeri, quid 3 lux ventura minatur?
Vivamus; mortem fallere nemo poteſt.
Heu [d] vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle 4 diem; mediis mors venit atra jocis.

Tempora [e] longa tibi noli promittere vitæ:
[umbra.
Quocumque ingrederis, ſequitur mors, corpus ut
Gaudia carpe brevis vitæ: [f] terreſtria quando
Mortales animas vivunt ſortita, neque ulla eſt
Aut magno aut parvo lethi fuga: 6 quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus:
Vive memor, quàm ſis ævi brevis.———
Tu [g], quamcumq; Deus tibi 7 fortunaverit horam,
Gratâ ſume manu; nec dulcia differ in annum.
Omnem [h] crede diem tibi diluxiſſe 8 ſupremam:
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.

——— [i] Sapias, vina 9 liques, & ſpatio brevi

Spem

Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit invida
Ætas, 10 carpe diem, quàm minimum credula poſterò.

Authorum Loca.] a Ov. Met. *L.* 1. *v.* 356. b Buchan. Lib. Miſcellan. è Græco Stobæi carm. ultim. c Sannazar. *L.* 1. *Ep.* 61. d Id. *Ep.* 3. e Cato *de* Morib. *L.* 4. *diſt.* 37. f Hor. *L.* 2. *Sat.* 6. *v.* 93. g Hor. *L.* 1. *Ep.* 11. *v.* 22. h Hor. *L.* 1. *Ep.* 4. *v.* 13. i Idem. *L.* 1. *Od.* 11. *v.* 6.

Notæ] 1 *Simonides.* 2 *Indulge Genio, id eſt vive lætus.* 3 *Dies craſtina.* 4 *Lætitia fruendo effice, ne dies qui abiit abiiſſe ſentiatur.* 5 *E terra orta.* 6 *Quocirca.* 7 *Quodcunque tempus lætum Deus dederit.* 8 *Ultimam.* 9 *Fundas.* 10 *Utere præſenti tempore.*

CAP. CXXII.

Vere omnia gaudent.

POſt longas hyemes & pigræ frigora brumæ,
Rura novat veris floridioris honos.
Utque novus, poſito veteris ſqualloré ſenectæ,
Pandit odoriferas fertilis annus opes.
Purior auratis 1 Phœbus ſplendeſcit habenis;
Mollior arboreis ſibilat aura 2 comis.
Herba comis, tellus nitet herbis, frondibus arbor:
Luxuriat lætum læta per arva pecus.
Tondet ovis pratum, petulans ſalit agnus in herbâ:
Pro niveâ taurus conjuge bella gerit.
Rupis inacceſſæ ſcandunt dumeta capellæ;
Hœdus & infirmâ prœlia fronte movet.
Interea paſtor 3 geniali ſtratus in umbrâ
Diſcutit 4 incomptis tædia lenta modis.
Nunc & odoratâ ſomnos invitat in herbâ;
Nunc audit ſtrepitum prætereuntis aquæ.
Hic ſedet intentus liquidas piſcator ad undas,
Dum tremulum fallax linea ſentit onus.

Forſan

Forſan & eluſos quærit quibus inſtruat hamos;
Explicat aut cautâ retia longa manu.
Garrula per virides ludunt examina ramos:
Et tenui ſylvas gutture mulcet avis.
Sidera [b] 5 jam Tyrius 6 Phryxeï reſpicit 7 agni
Taurus 8, & 9 alternum Caſtora fugit hyems.
Ridet ager, veſtitur humus, veſtitur & arbos,
O nemus, ô ſoles, ô 10 tunicata quies.——&c.

Authorum Loca.] a Buchan. Eleg. Maiæ Calendæ. *v.* 88. & paſſim *infra* & *ſupra.* b Mart. *L.* 10. *Ep.* 51.

Notæ.] 1 *Sol, cui à Poëtis attribuuntur currus, equi, & habenæ.* 2 *Frondibus. Metaph.* 3 *Læta.* 4 *Rudibus, non doctis.* 5 *Signa cæleſtia.* 6 *Qui per Helleſpontum Phryxum vexit.* 7 *Arietis aureo vellere inſignis, quem ſignum cæleſte factum Sol vere ingreditur.* 8 *Signum vernum, nam Jupiter ſub tauri ſpecie Europam Agenoris Tyri regis filiam abduxit.* 9 *Alternis orientem, nam Caſtor & Pollux nunquam ſimul videantur.* 10 *Quâ in rure fruimur, nam in rure tunicâ, in urbe togâ Romani utebantur.*

CAP. CXXIII.

Miſera eſt magni cuſtodia cenſûs.

[a] Dives opum, pauperq; animi, plus poſſidet auri,
In fulvâ rutilus quàm vehit 1 Hermus aquâ.
Poſſidet incluſum ſic cæci carceris umbris;
Nec procul infernis (ut reor) à tenebris.
Et decies unâ vel ſæpius inſpicit horâ;
Et numerans miſeras uſque fatigat opes.
Nec ſatis hoc: centum ferratis limina portis
Addita, centenis ferrea clauſtra ſeris:
Cuſtodeſque canes, atque horridus ære ſatelles
Excubat, ad clauſas pervigilatque fores.
Non miſer uxori, non audet credere natis:
Frigida non pictis quos habet arca deis.

Formidat;

Formidat, ſi vermis humo, mus exeat antro:
Si luteum 2 Progne ſub trabe figat opus.
Si trabibus laxum ſuſpendit aranea caſſem;
Eſſe putat nummis retia tenſa ſuis.
Nec minùs obſcuras formidat luce tenebras,
Et latebras promptas ad ſcelus omne duces:
Ipſe ſuam veluti furem luctatur in umbram;
Gypſatas 3 metuunt credula corda manus.
Huc labor, huc miſeri ſpectat veſania voti,
Et trepidi ſemper corde micante metus:
Poſt inopis curas, & inania tædia vitæ,
Dives ut ad Stygias îſſe feratur aquas.
Atque opibus mortem ſeu placaturus avaram,
Semper inops vivit, nè moriatur inops.

Tantis [b] parta malis, curâ majore metuque
Servantur; miſera eſt magni cuſtodia censûs.
Nam [c] vigilare metu exanimem, nocteſq; dieſq;
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te 4 compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optârim pauperrimus eſſe 5 bonorum.

Authorum loca] a Buchan. *L.* 2. *Ep.* 62. b Juv. *Sat.* 14. *v.* 303. c Hor. *L.* 1. *Sat.* 1. *v.* 76.
Notæ.] 1 *Fluvius Lydiæ aurifer.* 2 *Hirunda in quam Progne Pandionis filia mutata erat.* 3 *Feraces, quibus quicquid tangitur adhæret.* 4 *Furto defraudent.* 5 *Quæ revera mala ſunt.*

CAP.

CAP. CXXIV.

Felix vita domî eſt, non extremo orbe petenda.

[a]FElix qui patriis ævum tranſegit in agris;
Ipſa 1 domus puerum quem videt, 1 ipſa [ſenem.
Qui baculo nitens, in quâ reptavit arenâ,
Unius numeret ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas 2 mobilis 3 hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles;
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis 4 rerum, vicinæ neſcius urbis,
Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non 5 Conſule computat annum;
Autumnum pomis, vel ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemque reducit:
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Æquævumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris urbs viſa remotior 6 Indis;
Vicinumq; putat littora 7 rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur 8 Iberos:
Plus habet 9 hic vitæ; plus habet 10 ille viæ.

Strenua [b] 11 nos exercet inertia; 12 navibus atque

Quadrigis

Quadrigis petimus bene vivere; quod petis hîc eſt:
Eſt 13 Ulubris; animus ſi te non deficit æquus.

Stet [e] quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio:
Nullis nota 14 Quiritibus,
Ætas per tacitum fluat.
Sic cùm tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies;
Ignotus moriar ſenex.
Illi ſors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Authorum Loca.] a Claud. Epigr. 2 *de* ſene Veron. b Hor. *L.* 1. *Ep.* 11. *v.* 28. c Sen. Thyeſt. *v.* 392.

Notæ.] 1 *Eadem.* 2 *Vagabundus, & incerti laris.* 3 *Peregrinus.* 4 *Inexpertus.* 5 *Summo Romæ magiſtratu annuatim electo; unde ab iis moris erat annos computare.* 6 *Populis Aſiæ remotiſſimis.* 7 *Rubri maris.* 8 *Remotæ Hiſpaniæ populos.* 9 *Qui domi ſuæ manet.* 10 *Qui peregre proficiſcitur.* 11 *Magno conatu magnas nugas agimus.* 12 *Terra marique.* 13 *Vico Campaniæ ignobili.* 14 *Civibus meis, nam Romæ cives Quirites dicti à Romulo, cui & nomen Quirino.*

CAP.

CAP. CXXV.

Senectus ipſa morbus eſt.

[a] JAM veniunt anni fragiles, & inertior ætas:
Inficit & nigras alba ſenecta comas.
Jam [b] ſubeunt morbi, ſubeunt diſcrimina mille;
Jam dulces epulæ deliciæque nocent.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
Lumina: vix tactus noſcere certa queat.
Nullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas:
Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
Quondam ridentes oculi, nunc 1 fonte perenni
Deplorant pœnas nocte dieque ſuas.
Mox miſerum ſcabies, mox tuſſis anhela fatigat;
Continuos gemitus ægra ſenecta tulit.
Hæ ſunt 2 primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit: & pigris greſſibus 3 ima petit. [infans:
Fitque 4 tripes prorſus 5 quadrupeſque, ut parvulus
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Nec cœlum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
Terram, è quâ genita, & quò reditura, videt.

Multa [c] ſenem circumveniunt incommoda: quippe
Optima [d] quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: 6 ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Heu

Heu [c] quàm continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis? [f] quam ſic circumſilit agmine facto
Morborum omne genus.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 3. b Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 153, & *v.* 119. & paſſim per totam Eleg. c Hor. *de* Ar. Poet. *v.* 169. d Virg. Georg. *L.* 3. *v.* 66. e Juv. *Sat.* 10. *v.* 190. f Id. *v.* 218.

Notæ.] 1 *Lacrymarum. Metaph.* 2 *Primi gradus.* 3 *Non deſcendit, ſed cadit. Sen. Ep.* 4 *Innixus baculo.* 5 *Pronus in terram cadens: & alludere videtur ad Sphingis ænigma Oedipo propoſitum & ſolutum.* 6 *ſuccedunt.*

CAP. CXXVI.

Cura facit canos.

[a]HEU 1 me debilitat ſeries immenſa laborum,
Ante meum tempus cogit & eſſe ſenem.
Confiteor facere hoc annos; ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſque dolor.
Seu [b] vitiant artus ægræ contagia mentis:
Sive animum comitem corpora laſſa 2 trahunt.
Nil [c] igitur mirum eſt, ſi mens mihi tabida facta,
De nive manantis more liqueſcit aquæ.
Eſtur ut occultâ vitiata teredine navis:
Æquorei ſcopulos ut cavat unda ſalis:
Roditur ut ſcabrâ poſitum rubigine ferrum:
Conditus ut tineæ 3 carpitur ore liber:
Sic quoque perpetuos curarum pectora morſus
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec priùs hi mentem ſtimuli, quàm vita, relinquent:
Quique dolet citiùs, quàm dolor ipſe cadet.

Sic

Sic [d] mea perpetuis liquefiunt pectora curis;
Ignibus admotis ut nova cera solet.
Parvus [e] in exiles succus mihi pervenit artus,
Membraque sunt cerâ pallidiora novâ.
Is [f] quoq; 4 qui gracili cibus est in corpore, somnus,
Non alit officio corpus 5 inane suo.
Sed vigilo, vigilantque mei sine fine dolores;
Materiam quorum cura dat usque nova.
Longus [g] enim curis vitiatum corpus amaris,
Non patitur vires languor habere 6 suas.

Populatur [h] artus cura.——

Authorum Loca] a Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 19, & *v.* 7. b Ov. Trist. *L.* 3. *El.* 8. *v.* 25. c Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 67. d Id. *El.* 2. *v.* 57. e Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 27. f Id. *v.* 21. g Id. *v.* 3. h Sen. Hippol. *v.* 377.

Notæ.] 1 *Ovidius de se exule & ægroto loquitur.* 2 *Inficiunt, ut ne pars sincera trahatur. Ov.* 3. *Consumitur.* 4 *Somnus alit ut cibus.* 5 *Jejunium, & tenue.* 6 *Sibi à naturâ concessas.*

CAP. CXXVII.

Dulcis erit mercede labor.

[a]NON facilè invenias multis è millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non movet: & gratis pœnitet esse probum.
Sed [b] puto fructus adest, justissima causa laborum:
Et sata cum multo 1 fœnore reddit ager.
In [c] steriles campos nolunt juga ferre juvenci;
Pingue solum lassat; sed juvat ipse labor.

Finge [d] legi 2, quodq; eſt mirabile, fingé placere;
Auctorem certè res juvat 3 iſta nihil.
Gloria [e] quantalibet quid erit, ſi gloria tantum eſt?
Nil vatem ſtudiis præmia digna manent.

Invitat [f] pretiis animos, qui præmia ponit.
Ni [g] par ingenio pretium, non utile vati
Pallere 4, & vinum toto 5 neſcire Decembri.
Quid [h] nam inopi 6 Ladæ velocis gloria plantæ
Præſtat, & 7 eſuriens Piſææ 8 ramus olivæ?
Scilicet [i] ingeniis meliùs ſub teſte benigno
Vivitur: egregios invitant præmia mores.
Hinc priſcæ redeunt artes; felicibus inde
Ingeniis aperitur iter: deſpectaque Muſæ
Colla levant; opibuſq; fluens, & pauper eodem
Nititur ad fructum ſtudio; cùm cernat uterque,
Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis: [k] Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?——

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 11. b Id. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 25. c Mort. *L.* 1. *Ep.* 108. d Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 77. e Juv. *Sat* 7. *v.* 81. f Virg. Æn. L. 5. *v.* 292. g Juv. *Sat.* 7. *v.* 96. h Juv. *Sat.* 13. *v.* 98. i Claud. *de* laud. Stil. *L.* 2. *v.* 124. k Juv. *Sat.* 10. *v.* 141.

Notæ.] 1 *Cum incremento.* 2 *Supple libros tuos.* 3 *Nempe quod libri tui placent.* 4 *Continuis ſtudiis.* 5 *Non potare.* 6 *Curſori velociſſimo.* 7 *Eſurienti datus.* 8 *Corona ex ramo oleæ curſori victori data, in ludis celebratis juxta urbem Piſam.*

CAP.

CAP. CXXVIII.

Forma non amat artificem.

[a]UT Natura dedit, ſic omnis recta figura:
Turpis Romano 1 Belgicus ore color.
Illi ſub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.
Quid [b] juvat ornato procedere, ſtulta, capillo?
Et tenues 2 Coâ veſte movere ſinus?
Aut quid 3 Oronteâ crines perfundere myrrhâ?
Teque peregrinis 4 vendere muneribus?
Naturæque decus 5 mercato perdere cultu,
Nec cinere in 6 propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla bonæ medicina figuræ eſt:
Nudus 7 Amor formæ non amat 8 artificem.
Aſpice quos 9 ſummittit humus formoſa colores,
Et veniant hederæ ſponte ſuâ meliùs:
Surgat & in ſolis formoſiùs arbutus antris,
Et ſciat 10 indociles currere lympha vias.
Littora nativos per ſe dant picta lapillos:
Et volucres nullâ dulciùs arte canunt.
Quid [c] molles igitur prodeſt coluiſſe capillos?
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?
Quid fuco ſplendente comas ornâſſe, quid ungues
Artificis doctâ ſubſecuiſſe manu?
Fruſtra jam veſtes, fruſtra mutantur amictus;
Anſaque compreſſos colligat arcta pedes.
Forma placet, quamvis inculto venerit ore;
Nec nitidum tardâ compſerit arte caput.

Cur ſtudium formæ eſt? coma cur mutatur, ut annos
  Diſſimulet viridi cortice tincta 11 nucis;
Ne ſit tanta tibi quærendi cura decoris:
  Heu [d] quantùm per ſe candida forma placet!
Parce [e] ſupervacuo cultu componere membra:
  Augeri ſtudio tam bona forma nequit.

Autborum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 18. *v.* 29. b Id. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 3. c Tibul. *L.* 1. *El.* 8. *v.* 9, & *v.* 43. d Prop. *L.* 2. *El.* 28. *v.* 30. e Errones Ven. ad calcem Petronii.

Notæ.] 1 *Flavus; qualem Batavi Belgii populus vel gelidi cœli beneficio, vel uſu ſmegmatis & lixivii habebant.* 2 *Molli: qualis ex bombyce Coâ confici ſolebat. Cos autem ſive Coos, inſula maris Ægæi.* 3 *Ex Aſſyriæ urbe Ornate advecta.* 4 *Commendare, ut merces ſolent mercatores.* 5 *Ornate mercibus externis; ſcilicet auro, fuco, purpurâ.* 6 *Nativis.* 7 *Cupido.* 8 *Ornatricem.* 9 *Producit.* 10 *Nullâ arte doctas, ſit* amnis doctus iter melius *apud Horat.* 11. *Nucum juglandium cortice inficiuntur capilli.*

CAP. CXXIX.

——Forſan miſeros meliora ſequentur.

[a] FLebile principium melior fortuna ſecuta eſt,
  Nec mala tam ſequitur quàm mala prima fuit.
Si [b] numeres anno 1 ſoles & nubila toto;
  Invenies nitidum ſæpiùs îſſe diem.
Ac [c] veluti, ventis agitantibus æquora, non eſt
  Æqualis rabies, continuuſque furor.
Sed modò ſubſidunt, 2 intermiſſique ſileſcunt:
  Vimque putes illos depoſuiſſe ſuam.
Sic ſolet interdum fieri placabile numen:
  Nube ſolet pulsâ candidus ire dies.
Exemplum [d] eſt animi nimium patientis Ulyſſes,
  Jactatus dubio per 3 [illegible] mari.

Tempora

Tempora ſoliciti ſed non tamen omnia fati
Pertulit; & placidæ ſæpe fuere moræ.
An [c] gravis 4 inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in curſu ſemper acerba ſuo?
Crede [f] mihi, miſeris cœleſtia numina parcunt,
Nec ſemper læſos & ſine fine premunt.

Multa [g] dies variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius; multos alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locavit.
——Tanta [h] eſt rerum diſcordia in ævo,
Et ſubtexta bonis mala ſunt; lacrymaſq; ſequuntur,
Vota; nec in cunctis ſervat fortuna tenorem.

Non [i] ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare 5 Caſpium
Vexant 6 inæquales procellæ
Uſque; nec Armeniis in oris,
Amice 7 Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes; aut Aquilonibus
Querceta 8 Gargani 9 laborant,
Et foliis 10 viduantur orni.

Authorum Loca.] a Ov. Met. *L.* 7. *v.* 851. b Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 8. *v.* 31. c Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 149, & *v.* 141. d Ov. Pont. *L.* 4. *El.* 10. *v.* 9. e Ov. *Ep.* Sapph. *ad* Pha. *v.* 59. f Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 21. g Virg. Æn. *L.* 11. *v.* 425. h Manil. *L.* 3. *v.* 521. i Hor. *L.* 2. *Od.* 9. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Dies ſole lucidos.* 2 *Per vices.* 3. *Per decennium. Poëtica licentia, luſtrum enim quatuor annorum ſpatium continet.* 4 *Ut mihi olim inimica, ita poſt hæc.* 5 *Pro quovis mari. Synecd.* 6 *Quæ mare faciunt inæquale. Metonym.* 7 *Horatius hæc ei ſcripſit.* 8 *Apuliæ montis.* 9 *Agitantur.* 10 *Spoliantur, nudantur. Metaph.*

CAP. CXXX.

Gratum ſecuris periclitantes aſpicere.

CRede mihi tutis aliena pericula gratum
Vidiſſe; immunes ſe quoque nôſſe mali.
Quàm [a] juvat immites ventos audire cubantem,
Et ſeſe tenero continuiſſe toro?
Aut, gelidas hybernus aquas quum fuderit 1 Auſter,
Securum ſomnos imbre 2 juvante ſequi?

Suave, [b] mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare 3 laborem:
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos 4 inſtructa; tua ſine parte pericli.
Sed nil dulcius eſt, bene quàm munita tueri
Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam 5 palantes quærere vitæ.

Authorum Loca] a Tibul. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 45. b Lucr. *L.* 2. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Ventus pluvias inducens.* 2 *Somnos conciliante.* 3 *Periculum.* 4 *Ordine militari compoſita.* 6 *Huc illuc vagantes, ut viæ ignari ſolent.*

CAP.

CAP. CXXXI.

Miseri ad metum proni.

[a] CUM dolor in morem venit; timor ipse malorum
Sæpe super vacuos cogit habere metus.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum;
Vanaque solicitis incutit umbra metum.
Sic ego fortunæ tela [illegible] iniquis,
Pectore 1 concipio nil nisi triste meo.
Aut quia res timida est omnis miser; aut quia longo
Tempore lætitiæ 2 janua clausa meæ est.
Utque [b] reformidant insuetum lumina Solem;
Sic ad lætitiam mens mea segnis erit.

——— Quæ [c] nimis miseri timent
Futura credunt; quippe quod metuunt nimis,
Nunquam amoveri posse, nec tolli putant.
Prona 3 est timori semper in pejus fides.

Pectora [d] longis hebetata malis
Non solicitas ponunt curas.
Proprium hoc miseros sequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Redeat felix fortuna licèt,
Tamen afflictos gaudere piget.
Nullâ surgens dolor ex causâ
Hos flere jubet; sed vagus intro

Terror oberrat: ſubitos fundunt
Oculi fletus, nec cauſa ſubeſt;
Imper 4 vultu nolente cadit.

[f] *Authorum Loca.*] [a] Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 5, & *v.* 13, & *v.* 37. [b] Ov. Pon. *L.* 3 *El.* 4. *v.* 49. [c] Sen. Herc. Fur. *v.* 313. [d] Sen. Thyeſt. *v.* 921, & *v.* 939, & *v.* 966.

Notæ.] 1 *Augurer, cogito.* 2 *Nullam ſenſi lætitiam, proverbialiter dictum.* 3 *Quia pejora facilius credimus, quam meliora.* 4 *Lacrymarum. Metaph.*

CAP. CXXXII.

Quæ rara chara.

[a] RAra juvant; primis ſic major gratia pomis:
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.
Quod [b] facile eſt, vile eſt; mihi copia tollit amorem:
Et faſtiditâ non libet eſſe domo.
Semper [c] in abſentes felicior æſtus amantes:
Elevat 1 aſſiduos 2 copia 3 longa viros.
Pinguis [d] amor, nimiumque 4 potens in tædia nobis
Vertitur, & ſtomacho (dulcis ut eſca) nocet.
Si nunquam 5 Danaën habuiſſet aëneа turris:
Non eſſet Danae, de Jove, facta parens.
Dum ſervat Juno mutatam cornibus 6 Io:
Facta eſt, quàm fuerat, gratior inde 7 Jovi.
Non [e] plebeia Venus gratiſſima; frigore ſoles,
Sole juvant umbræ; grata ſit unda ſiti.

——— Voluptates [f] commendat rarior uſus.

Ales [g] Phaſiacis 8 petita Colchis,

Atque

Atque 9 Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles; at albus anſer
Plebeium ſapit: ultimis ab oris
Attractus 10 Scarus, atque 11 arata 12 Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur,
Mullus jam gravis eſt; amica vincit
Uxorem, roſa Cinnamum 13 veretur;
Quicquid 14 quæritur, optimum videtur.

Noſtro [h] palato deſipit,
Vulgare quicquid atque plebeium ſapit.
Niveſque, 15 pœnas montium,
Laborioſas 16 facere delicias gulæ
Studemus, per artes novas.
Nil eſurimus obvium & parabile;
Et vile quod pronum eſt nimis.

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 4. *Ep.* 29. b Ov. Rem. Am. *v.* 541. c Prop. *L.* 2. *El.* 31. *v.* 43. d Ov. Am. *L.* 2. *El.* 19. *v.* 25. e Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 9. f Juv. *Sat.* 11. *v.* 208. g Petron Metr. 12. h Rapin. (ni fallor.)

Notæ.] 1 *Viliores facit.* 2 *Qui jugiter adſunt.* 3 *Potiundi facultas.* 4 *Felix & voti ſui compos.* 5 *Acriſii Argivorum regis filiam, à Jove aureo imbre corruptam.* 6 *Inachi filiam à Zelotypâ Junone in bovem mutatam.* 7 *Scilicet ob cuſtodiam.* 8 *Phaſianus, avis petita & dicta à Phaſide Colchorum fluvio.* 9 *Galli Africani.* 10 *Piſcium genus in deliciis habitum apud veteres.* 11 *Piſcatorum navigiis.* 12 *Locus in mari Libyco vadoſus & periculoſus.* 13 *Ne ei odore cedat.* 14 *Summo labore.* 15 *Quibus montes onerantur.* 16 *Multo conatu placere palato.*

CAP. CXXXIII.

Ars manet, opes fluxæ.

NIL homini tutum eſt; nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique 1 bonis.
En 2 ego cùm patriâ caream, natîſque domoque;
Raptaque ſint, adimi quæ potuêre, mihi;
Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque:
Cæſar in hoc potuit 3 juris habere nihil.
Me [b] mea Muſa levat, Ponti 4 loca 5 juſſa petentem:
Sola comes longæ perſtitit illa fugæ.
Sola nec inſidias, 6 Thrêci nec militis enſem,
Nec mare, nec ventos, 7 barbariemque timet.

Diſce [c] aliquid; nam cùm ſubitò fortuna recedit,
Ars remanet; vitamq; hominis non deſerit unquam.
Si [d] tibi ſint nati, nec opes; tunc artibus illos
Inſtrue; quò poſſint inopem 8 defendere vitam.

AuthorumLoca.] a Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 43. b Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 19. c Cato *L.* 4. *Diſt.* 19. d Cat. *L.* 1. *Diſt.* 28.
Notæ.] 1 *Dotibus animi.* 2 *Odii de ſe verba.* 3 *Poteſtatis, vel Authoritatis.* 4 *Tomos.* 5 *Imperio Auguſti Cæſaris.* 6 *Threicii.* 7 *Populos Barbaros.* 8 *Victuros.*

CAP.

CAP. CXXXIV.

Affectus vix sunt ratione domandi.

[a] ODI, nec possum cupiens non esse, quod odi;
Heu quàm, quod studeas ponere, ferre grave!
Nam desunt vires ad me mihi 1 jusq; regendum:
Auferor, ut rapidâ concita puppis aquâ.
Nam [b] malè res junctæ calor & reverentia pugnant:
Quid sequar in dubio est: hæc decet; ille juvat.
Vive [c], deus posito, siquis mihi dicat, amore:
Deprecer; usque adeo dulce Cupido malum est.
Cùm bene pertæsum est, animoq; relanguit ardor,
Nescio quò miseræ 2 turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum, spumantia frustra
Fræna 3 retentantem, durior oris equus:
Ut subitus, propè jam prensâ tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit.
Sic me sæpe refert incerta Cupidinis aura:
Notaque 4 purpureus 5 tela resumit amor.
Luctantur [d] pectusque leve in contraria ducunt,
Hinc Amor, hinc Ratio; sed puto vincet Amor.

Heu [e] trahit invitum nova vis, aliudq; cupido;
Mens aliud suadet; video meliora, proboque;
Deteriora sequor. Ratio affectusque rebelles
Non [f] bene conveniunt, nec in unâ sede morantur.

CAP. CXXXIII.

Ars manet, opes fluxæ.

NIL homini tutum eſt; nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique 1 bonis.
En 2 ego cùm patriâ caream, natiſque domoque;
Raptaque ſint, adimi quæ potuêre, mihi;
Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque:
Cæſar in hoc potuit 3 juris habere nihil.
Me [b] mea Muſa levat, Ponti 4 loca 5 juſſa petentem:
Sola comes longæ perſtitit illa fugæ.
Sola nec inſidias, 6 Thrêci nec militis enſem,
Nec mare, nec ventos, 7 barbariemque timet.

Diſce [c] aliquid; nam cùm ſubitò fortuna recedit,
Ars remanet; vitamq, hominis non deſerit unquam.
Si [d] tibi ſint nati, nec opes; tunc artibus illos
Inſtrue; quò poſſint inopem 8 defendere vitam.

AuthorumLoca.] a Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 43. b Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 19. c Cato *L.* 4. *Diſt.* 19. d Cat. *L.* 1. *Diſt.* 28.
Notæ.] 1 *Dotibus animi.* 2 *Odii de ſe verba.* 3 *Poteſtatis, vel Authoritatis.* 4 *Tomos.* 5 *Imperio Auguſti Cæſaris.* 6 *Threicii.* 7 *Populos Barbaros.* 8 *Victualere.*

CAP.

CAP. CXXXIV.

Affectus vix sunt ratione domandi.

[a] ODI, nec possum cupiens non esse, quod odi;
Heu quàm, quod studeas ponere, ferre grave
Nam desunt vires ad me mihi 1 jusq; regendum: [est!
Auferor, ut rapidâ concita puppis aquâ.
Nam [b] malè res junctæ calor & reverentia pugnant:
Quid sequar in dubio est: hæc decet; ille juvat.
Vive [c], deus posito, siquis mihi dicat, amore:
Deprecer; usque adeo dulce Cupido malum est.
Cùm bene pertæsum est, animoq; relanguit ardor,
Nescio quò miseræ 2 turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum, spumantia frustra
Fræna 3 retentantem, durior oris equus:
Ut subitus, propè jam prensâ tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit.
Sic me sæpe refert incerta Cupidinis aura:
Notaque 4 purpureus 5 tela resumit amor.
Luctantur [d] pectusque leve in contraria ducunt,
Hinc Amor, hinc Ratio; sed puto vincet Amor.

Heu [e] trahit invitum nova vis, aliudq; cupido;
Mens aliud suadet; video meliora, proboque;
Deteriora sequor. Ratio affectusque rebelles
Non [f] bene conveniunt, nec in unâ sede morantur.

Varium [g] ecce nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit; anceps æſtus incertum rapit.
Ut ſæva rapidi bella cùm venti gerunt;
Utrimque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur: ira pietatem fugat,
Iramque pietas: [h] at furor cogit ſequi
Pejora, vadit animus in præceps 6 ſciens,
Remeatque, fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cùm gravatam navita adversâ ratem
Propellit undâ; cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quid ratio poſſit? vincit ac regnat 7 furor.

Authorum Loca.] a Ov. Am. *L.* 2. *El.* 4. *v.* 5. b Ov. *Ep.* Her. *ad* Leand. *v.* 173. c Ov. Am. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 25. d Id. *L.* 3. *El.* 11. *v.* 33. e Ov. Met. *L.* 7. *v.* 19. f Id. *L.* 2. *v.* 846. g Sen. Med. *v.* 936. h Sen. Hipp. *v.* 177.

Notæ.] 1 *Poteſtas.* 2 *Rapido affectu. Metaph.* 3 *Retinere tentantem.* 4 *Solita.* 5 *Formoſus.* 6 *Prudens, ſciens, vivus, videnſque perit: ut Phædria Terentii.* 7 *Cupido Amoris deus.*

CAP. CXXXV.

Amor non ſanandus.

OMnes humanos ſanat medicina dolores:
Solus amor morbi non habet 1 artificem.
Non hîc herba valet; non hîc nocturna 2 Cytæis;
Non per 3 Medeæ gramina cocta manus.

Quippe

Quippe ubi nec cauſas, nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala, cæca via eſt.
Quæ [b] 4 ſævos pepulit doctis medicatibus 5 ignes,
Non valuit flammas effugere ipſa 6 ſuas.
Hanc ipſi cantus, herbæq; arteſq; relinquunt:
Nil Dea, nil Hecates ſacra potentis agunt.
Pavit [c] ubi 7 Admeti tauros formoſus Apollo:
Non cithara intonſæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis:
Quicquid erat medicæ vicerat artis amor.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua eſt? ubi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parvâ te jubet eſſe casâ.
Non [d] intellecti nulla eſt curatio morbi,
Ut magis incluſis ignibus antra fremunt.
Non [e] eget hic medicis, non lectis mollibus æger,
Heic nullum 8 cœli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & ſubitò mirantur funus amici:
Sic eſt 9 incautum quicquid habetur Amor.

Inventum [f] medicina 10 meum eſt; opiferque per [orbem
Dicor; & herbarum ſubjecta potentia nobis:
Hei mihi quod nullis amor eſt medicabilis herbis,
Nec proſunt domino, quæ proſunt omnibus, artes.

———Ah [g] miſer,
Quantâ laboras in 11 Charybdi!
Digne puer meliore 12 flammâ.
Quæ 13 ſaga, quis te ſolvere 14 Theſſalis
Magus 15 venenis, quis poterit Deus?

Vix illigatum te triformi
Pegaſus 16 expediet 17 Chimærâ 18.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 1. *v.* 59, & 4. *v.* 7. b Ov. *Ep.* Med. *ad* Jaſcn. *v.* 165. c Tib. *L.* 2. *El.* 3. *v.* 11. d Corn. Gall. *El.* 3. *v.* 55. e Prop. *L.* 2. *El.* 1, *v.* 77. f Ov. Met. *L.* 1. *v.* 521. g Hor. *L.* 1. *Od.* 27. *v.* 18.

Notæ.] 1 *Medicum.* 2 *Saga nocturna peragens ſacra.* 3 *Veneficii & artis magicæ peritiſſimæ.* 4 *Medea.* 5 *Tauros ignem ſpirantes.* 6 *Sui Pectoris amorem.* 7 *Theſſaliæ regis, cujus greges pavit Apollo cælo expulſus.* 8 *Æteris.* 9 *Quod caveri nequit.* 10 *Apollinis verba, de ſterili ſuo Daphnes amore querentis.* 11 *In amore non minus periculoſa quàm Charybdis, quæ maris Siculi vorago eſt.* 12 *Amore, Metaph.* 13 *Mulier venefica.* 14 *In Theſſaliâ herbæ ſunt venenoſæ.* 15 *Incantator.* 16 *Equus alatus.* 17 *Extricabit.* 18 *Muliere pejori monſtro Chimæra.*

CAP. CXXXVI.

Adverſa virtutem illuſtrant.

[gubernet;

[a]RAra quidem eſt virtus, quam non fortuna
Quæ maneat ſtabili, cùm fugit illa, pede.
Scilicet [b] adverſis probitas exercita rebus,
Triſti 1 materiam tempore laudis habet.
Si nihil infeſti durus vidiſſet Ulyſſes:
Penelope 2 felix, ſed ſine laude, foret.
Victor 3 Echionias ſi 4 vir 5 penetrâſſet in arces;
Forſitan 6 Evadnen vix ſua nôſſet humus.
Cùm Peliâ tot ſint genitæ, cur nobilis 7 una eſt?
Nupta fuit miſero nempe quòd una viro.
Et tua fortaſſis pietas ignota maneret,
Implêſſent venti ſi tua vela 8 ſui.
Materiam [c] ergo 9 tuis triſtem virtutibus imple:
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nôſſet, ſi non & 10 Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.

Ars

[fluctus:
Ars tua, 11 Tiphy, 12 jacet; si non sit in æquore
Si valeant homines; ars tua, 13 Phœbe, 12 jacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.
Dat tibi sæva locum tituli Fortuna, caputque
Conspicuum pietas quâ tua tollat habet.
Utere temporibus, quorum es nunc munere fretus:
En patet in laudes area lata tuas:

——Juvat [d] ire periclis
Ad decus; & dextrâ memorandum condere nomen;
Quale dedit nunquam rebus fortuna secundis.
Lætius [e] est, magno quoties sibi constat honestum.
Haud f excussa gravi virtus terrore pericli,
Utitur ad laudem casu, ——

——Superat [g] 14, & crescit malis,
Itâque nostrâ fruitur; in laudes suas
Mea vertit odia; dum nimis sæva impero,
Patrem 15 probavit. Monstra jam desunt mihi;
Minorque labor est Herculi jussa exequi;
Quàm mihi jubere.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. *L.* 5. *El.* 14. *v.* 29. b Ov. Trist. *L.* 5. *El.* 5. *v.* 49, & 59. c Ov. Trist. *L.* 4. *El.* 3. *v.* 73. d Sil. It. *L.* 4. *v.* 36. e Lucan. *L.* 9. *v.* 404. f Sil. It. *L.* 9. *v.* 596. g Sen. Her. Fur. *v.* 33.

Notæ.] 1 *Causam & occasionem laudis.* 2 *Ulyssis uxor fida.* 3 *Thebanas; nam Thebæ ab Echione & Cadmo conditæ.* 4 *Capaneus.* 5 *Victor ingressus erat.* 6 *Capanei uxor, quæ se in ardentem mariti rogum projecit.* 7 *Alcestis quæ pro Viro Admeto mori non dubitavit.* 8 *Prosperi; id est si res essent secundæ. Metaph.* 9 *Argumentum historiæ tuæ luctuosum.* 10 *Urbs calamitosa.* 11 *Navis Argo gubernator.* 12 *Latet.* 13 *Artis medicæ inventor.* 14 *Hercules: verba sunt Junonis querentis, virtutem Herculis omnes deviciisse labores ab Eurystheo rege illi impositos.* 15 *Jovem.*

CAP.

CAP. CXXXVII.

Serò ſapiunt Phryges.

[a]CRede mihi ſerò clypeum poſt vulnera ſumis;
Cur [b] tremor haud artus occupat ante 1
Serò [c] reſpicitur tellus, ubi fune ſoluto, [tubam?
Currit in immenſum panda carina ſalum.
Navita ſolicitus quia ventos horret iniquos:
Et propè tam lethum, quàm propè cernit aquam.
Scilicet in mediis ſera eſt ſapientia damnis:
Rebus adhuc validis qui cavet, ille ſapit.

Providus [d] à longo 2 Fabius ſurgentia bella
Pectore præmeditans cavit: [e] tecum ergo voluta
Damna animo, ante 1 tubas: galeatum ſerò duelli
Pœnitet: è celsâ grandævus puppe magiſter
Proſpiciens ſignis venturum in carbaſa 3 Corum,
Summo jamdudum ſubſtringit lintea malo.
Cautior [f] antè vigil violentum navita 3 Corum
Proſpicit; & tumidæ ſubducit vela procellæ.
Quid juvat errorem, mersâ jam puppe, fateri?
Quid lacrymæ commiſſa levant delicta ſecutæ?
Ante nefas decuit ſentire, ac ire 4 recentes
Deterſum maculas: veteri poſt obruta morbo
Corpora, 5 Pæonias nec quicquam admoveris herbas.

Hi [g] longè 6 ventura vident, dubiiſque parati
Caſibus occurrunt; 7 hi non revocabile damnum
Eventu rerum ſtolido didicere magiſtro.

Nam,

Nam, pecudum ritu, non impendentia vitant,
Nec res antè vident; acceptâ clade, queruntur,
Et ſeri tranſacta gemunt.——

——Decipi [h] captus times?
Serum eſt cavendi tempus in mediis malis.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 35. b Verba Virg. Æn. *L.* 11. *v.* 424. c Ov. Am. *L.* 2. *El.* 11. *v.* 23. d Sil. It. *L.* 1. *v.* 683. e Juv. *Sat.* 2. *v.* 168. f Claud. *in* Eutrop. *L.* 2. *v.* 5. g Claud. *in* Eutrop. *L.* 2. *v.* 494, & *v.* 488. h Sen. Thyeſt. *v.* 487.

Notæ.] 1 *Ante claſſicum, ante periculum.* 2 *Dux Romanorum providus.* 3 *Ventum ab occaſu flantem.* 4 *Nuper admiſſa ſcelera.* 5 *Medicas, Pæon enim peritus medicus.* 6 *Providi.* 7 *Stulti, vel ſerò ſapientes.*

CAP. CXXXVIII.

——*Modicis humeſcere poc'lis*
Carmen alit.——

[a] INgenium potis irritat Muſa poëtis:
Bacche, ſoles 1 Phœbo fertilis eſſe tuo.
Vina [b] parant animos Muſis, niſi plurima ſumas;
At ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis:
Lenis alit flammam, grandior aura necat.
Fœcundi [c] calices quem non fecere diſertum?
Propoſuit [d] ſiccis 2 omnia dura Deus.
Vos [e] mihi 3 fumoſum veteris proferte 3 Falernum
Conſulis 4; & 5 Chio ſolvite vincla cado.

Nulla [f] placere diu, nec 6 vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus: 7 ut bene potos
Aſcripſit

Aſcripſit 8 Liber 9 Satyris 9 Fauniſque poëtas.
Vina ferè dulces oluerunt mane 10 Camœnæ:
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. [arma
Ennius 11 ipſe pater nunquam, niſi potus, ad 12
Proſiluit dicenda: 13 forum, 14 Putealque Libonis
Mandabo ſiccis; adimam 15 cantare ſeveris.
Quis [g] locus ingenio; niſi cùm ſe carmine ſolo
Vexant, & 16 dominis Cyrrhæ Nyſæque feruntur
Pectora veſtra, 17 duas non admittentia curas?

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 75. b Ov. Rem. Am. *L.* 2. *v.* 409. c Hor. *L.* 1. *Ep.* 5. *v.* 19. d Verba Hor. *L.* 1. *Od.* 18. *v.* 3. e Tib. *L.* 2. *El.* 1. *v.* 27. f Hor. *L.* 1. *Ep.* 19. *v.* 2. g Juv. *Sat.* 7. *v.* 63.

Notæ.] 1 *Poëtarum Deo.* 2 *Sobriis.* 3 *Optimum vinum.* 4 *Vini ætatem Romani notabant; cado inſcriptis conſulum nominibus, cùm eſſent recondita.* 5 *Vini optimi pleno; ex inſula Chio advecti.* 6 *Durare.* 7 *Poſtquam.* 8 *Bacchus.* 9 *Ebriis Bacchi comitibus.* 10 *Muſæ.* 11 *Primus Poëta Latinus.* 12 *Ad ſcribenda carmina, de bellis Romanorum.* 13 *Cauſas ſirenſes.* 14 *Sedem Prætoris à Libone foro poſitam.* 15 *Facultatem componendi carmina.* 16 *Apolline cui urbs Cyrrhâ, & Bacchо cui urbs Nyſa ſacræ erant.* 17 *Id eſt unicam componendi carmina.*

CAP. CXXXIX.

Senes ob ſapientiam veneratione digni.

[a]Firmior eſt juvenum, ſera at ſapientior ætas:
Hæc [b] melior 1 ſpecie, moribus 2 illa placet.
Nempè [c] quòd eſt 3 illis operum prudentia major;
Solus & artifices qui facit, uſus adeſt.
Appius 4 exemplo [d] eſt: 5 Pyrrho qui pace negatâ,
Multum animo vidit: lumine captus erat.
Quid [e] gravis 6 Antenor, Priamus quid ſuadeat ipſe
Conſule; queis ætas longa magiſtra fuit.

Vix

Vix [f] mihi credetis, ſed credite; Troja maneret,
Præceptis 7 Priami ſi foret uſa ſenis.
Sic [g] Romæ quondam populum digeſſit ab annis
Romulus 8; in partes diſtribuitque duas:
Hæc 1 dare conſilium, pugnare paratior 2 illa eſt:
Hæc 1 ætas bellum ſuadet; & 2 illa gerit.
Magna [h] fuit quondam capitis reverentia cani:
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.
Martis opus juvenes, animoſaq; bella gerebant,
Et pro Dîs aderant in 9 ſtatione ſuis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Conſilio patriæ ſæpe ferebat opem.
Nec niſi poſt annos patuit tunc 10 Curia ſeros;
Nomen 11 & ætatis mite Senatus habet.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat,
—— Non [i] omnia grandior ætas.

Quæ fugiamus, habet: ſeris venit uſus ab annis:
Rara [k] datur longo prudentia temporis uſu.

Authorum Loca] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 65. b Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 4. *v.* 46. c Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 675. d Ov. Faſt. *L.* 6. *v.* 203. e Ov. *Ep.* Oeno. *ad* Par. *v.* 95. f Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 439. g Ov. Faſt. *L.* 6. *v.* 83. h Ov. Faſt. *L.* 5. *v.* 57, & 69. i Ov. Met. *L.* 6. *v.* 28. k Cat. *L.* 4. *Diſt.* 27.

Notæ.] 1 *Ætas juvenum.* 2 *Ætas ſenum.* 3 *Senibus.* 4 *Cæcus Romæ Senator.* 5 *Epiri regi cui potenti pacem Romani authore Appio negabant.* 6 *Trojanorum princeps, ſenex & ſapiens, qui Helenam Græcis reddendam ſuaſit.* 7 *Trojæ regis.* 8 *Primus Romanorum rex.* 9 *In ſtatione militari, ſeu excubiis.* 10 *Gradus Senatorius.* 11 *Nempe à ſenectute.*

CAP.

CAP. CXL.

Ætas aurea felix & innocua.

[quàm
[a] QUàm bene 1 Saturno vivebant rege, priùs
Tellus in longas eſt patefacta vias.
Nondum cœruleas 2 pinus contempſerat undas:
Effuſum ventis præbueratque 3 ſinum.
Nec vagus, ignotis repetens 4 compendia terris,
Preſſerat externâ navita merce ratem.
Illo non validus ſubiit juga tempore taurus:
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipſæ mella dabant quercus; ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec enſes
Immiti ſævus duxerat arte faber.
Nunc Jove ſub domino cædes, & vulnera ſemper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.
At [b] cùm regna ſenex cœli Saturnus haberet;
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Æraque & argentum, cumq; auro pondera ferri
Manibus admôrat: nullaque maſſa fuit.
At meliora dabat; curvo ſine vomere fruges,
Pomaque, & in quercu mella reperta cavâ.
Nec valido quiſquam terram ſcindebat aratro:
Signabat nullo limite menſor humum.
Non freta dimiſſi verrebant eruta remi:
Ultima mortali tum via littus erat.

Nunc

Nunc terra eruimus ſolidum pro frugibus aurum:
Poſſidet inventas ſanguine miles opes.

Ante [c] Jovem, nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in 5 medium quærebant; ipſaque tellus
Omnia liberiùs, nullo poſcente, ferebat.
Aurea [d] prima ſata eſt ætas; quæ 6 vindice nullo,
Sponte ſuâ, ſine lege fidem rectumque colebat.
Non galeæ, non enſis erat, ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.

Authorum loca.] a Tib. *L.* 1. *El.* 3. *v.* 35. b Ov. Am. *L.* 3. *El.* 8. *v.* 35. & 53. c Virg. Georg. *L.* 1. *v.* 125. d Ov. Met. *L.* 1. *v.* 89, & 99.

Notæ.] 1 *Deo Cæli antiquiſſimi Jovis patre.* 2 *Navis è pinu. Metonym.* 3 *Velum.* 4 *Lucra.* 5 *Cibum in Commune quærebant.* 6 *Ultore qui pœnam peccantibus irrogaret.*

CAP. CXLI.

Nemo felix ante mortem.

[a] QUis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina 1 Tempora Di ſuperi. [ſummæ
Ventorum [b] eſt quodcunque paras; haud ulla carina
Conſenuit 3: fallit portus & ipſe fidem.
Nam [c] ſubitus, prope jam prensâ tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit.
An [d] quiſquam in mediis perſolvit vota procellis,
Cum ſæpe in portu fracta carina natet?
Aut priùs infecto depoſcit præmia curſu,
Septima 4 quàm metam triverit antè 4 rota?

Non

Non [e] procul à metis, quas pænè tenere videbar,
Curriculo gravis eſt facta ruina meo.
Mendaces [f] ludunt flatus in quâque ſecundi:
Siqua venit ſerò, magna ruina venit.

——— [g] Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt; dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
Et [h] Crœſum 5 vox hinc juſti facunda 6 Solonis
Reſpicere ad longæ juſſit ſpatia ultima vitæ.

——— [i] Nemo ſe tutò diu
Periculis 7 offerre tam crebris poteſt.
Quem ſæpe caſus tranſit, aliquando 8 invenit.
Et [k] ipſe caſus ſæpe jam expertos time.

Authorum Loca.] a Hor. *L.* 4. *Od.* 7. *v.* 17. b Prop. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 49. c Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 31. d Prop. *L.* 2. *El.* 25. *v.* 23. e Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 35. f Prop. *L.* 2. *El.* 25. *v.* 27. g Ov. Met. *L.* 3. *v.* 135. h Juv. *Sat.* 10. *v.* 274. i Sen. Herc. Fur. *v.* 326. k Sen. Med. *v.* 519.

Notæ.] 1 *Numero dierum, quos ad diem hodiernum viximus.* 2 *Penes ventos.* 3 *Diu duravit.* 4 *Currus in Circo ſeptem ſpatia decurrerit.* 5 *Opulentum Lydiæ regem.* 6 *Unius è ſeptem Græcorum ſapientibus.* 7 *Objicere.* 8 *Deprehendit.*

CAP.

CAP. CXLII.

Perjuria ridet amantûm Juppiter.

[a]Esse Deos, i, crede: fidem jurata fefellit:
Et facies illi, quæ fuit antè, manet.
Quàm longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos, poſtquam numina læſit, habet.
Scilicet æternò falſum jurare puellis
Dî quoque concedunt; formaq; numen habet.
Etſi [b] perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem;
Nulla fides inerit: perjuria ridet amantûm
Juppiter, & ventos 1 irrita ferre jubet.
Nec [c] jurare time; 2 Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit 3 pater ipſe valere,
Jurâſſet cupidè quicquid ineptus amor.
Nè, [d] ſi quem fallas, tu perjurare timeto:
Commodat illuſis numina 4 ſurda Venus.
Tu [e] Dea, tu jubeas animi perjuria noſtri
Carpathium 5 tepidos per mare ferre notos.
Juppiter [f] ex alto perjuria ridet amantûm:
Et jubet 6 Æolios irrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falſum jurare ſolebat
Jupiter, exemplo nunc favet ille ſuo.

Ulla [g] ſi 7 juris tibi pejerati
Pœna perjuræ nocuiſſet unquam:
Dente 8 ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem:

Crederem: ſed tu, ſimul 9 obligâſti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo; juvenumque prodis
Publica cura.
Ridet hoc (inquit) Venus ipſa; rident
Simplices 10 Nymphæ, ferus & Cupido.

Autborum Loca.] a Ov. Amor. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 1, & 11. b Tib. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 47. c Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 17. d Ov. Amor. *L.* 1. *El.* 8. *v.* 85. e Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 8. *v.* 19. f Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 635. g Hor. *L.* 2. *Od.* 8. *v.* 1, & 13.

Notæ.] 1 *Sine effectu, quæ à ventis & nubibus ſpargi & auferri dicebantur.* 2 *Per venerem jurata.* 3 *Pater Deorum Jupiter.* 4 *Quæ non audiunt at negligunt.* 5 *Pro quovis mari. Synecd.* 6 *Quibus imperat Æolus rex ventorum.* 7 *Furis jurandi abs te violati.* 8 *Minimâ corporis parte.* 9 *Per caput tuum juratſti.* 10 *Ad ignoſcendum faciles.*

CAP. CXLIII.

Nulla metu caſtæ quidquam cuſtodia prodeſt.

[a]CUI natura dedit leges à ſanguine ductas,
Non poſſit melior judicis eſſe metu.
Sed [b] nihil invitæ triſtis cuſtodia prodeſt;
Quam peccare puder, fœmina tuta ſat eſt:
Si [c] qua metu dempto caſta eſt; ea deniq; caſta eſt:
Quæ, quia non liceat, non facit; illa facit.
Ut jam ſervâris bene corpus; adultera mens eſt:
Nec cuſtodiri, ni velit, illa poteſt.
Nec mentem ſervare potes, licèt omnia claudas:
Omnibus occluſis intus adulter erit.
Quid [d] faciat cuſtos? vel quis cuſtodiat ipſos
Cuſtodes? pretio muneribuſque patent.

Nam

Nam [e] pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt,
Nec prohibent claves, & canis ipſe tacet.
Adfuit [f] Acriſio 1 ſervandæ cura 2 puellæ;
Hunc tamen illa ſuo 3 crimine fecit avum:
Nam [g] licèt ærato Danaë circumdata muro,
Non potuit magno victa negare Jovi.
Non [h] poſſit cupidas vigilans deprendere cuſtos,
Fallendique vias mille miniſtret Amor.
Nè [i] ſævo ſis caſta metu, ſed mente fideli;
Quæ mulier caſta eſt moribus, una proba eſt.

Quamvis [k] ingenium 4 caſtum, vultumq; modeſto
Sanguine ferventem tribuat natura, benignâ
Larga manu; (& quid plus poſſit conferre puellis
Cuſtode & 5 curâ natura potentior omni?)
Vix licet eſſe probas; nam prodiga corruptoris
Improbitas, ipſos audet tentare parentes;
Tanta in muneribus fiducia.——

Autborum Loca.] a Prop. *L.* 4. *El.* 12. *v.* 47. b Prop. *L.* 2. *El.* 6. *v.* 31. c Ov. Amor. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 3. d Verba Juv. *Sat.* 16. *v.* 346. e Tib. *L.* 2. *El.* 4. *v.* 33. f Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 631. g Prop. *L.* 2. *El.* 30. *v.* 95. h Tib. *L.* 4. *El.* 6. *v.* 11. i Tib. *L.* 1. *El.* 7. *v.* 81. k Juv. *Sat.* 10. *v.* 300.

Notæ.] 1 *Argivorum Regi.* 2 *Filiæ ſuæ Danaës.* 3 *Adulterio cum Jove commiſſo.* 4 *Naturam, mores.* 5 *Inſtitutione & doctrinâ, quæ licet multum valet, plus tamen natura.*

CAP.

CAP. CXLIV.

——*Mulier ſæviſſima pellice prensâ.*

QUis ferat, indomitas quoties ardeſcit in iras
Fœmina, cum prensâ pellice læſa dolet?
Nam [a] neque Fulvus aper mediâ tam ſævus in irâ;
Fulmineo rabidos cùm rotat ore canes:
Nec lea, cùm catulis lactentibus ubera præbet;
Nec brevis ignaro vipera læſa pede,
Fœmina quàm; ſocii deprensâ pellice lecti,
Ardet; & in vultu 1 pignora mentis habet.
In ferrum flammaſque ruit; poſitoque pudore
Fertur; ut 2 Aonii cornibus 3 icta Dei.
Conjugis admiſſum violatique jura mariti
Barbara per 4 natos 5 Phaſias ulta ſuos.
Altera 6 dira parens nati maculata cruore,
Aſpice ſignatum ſanguine pectus habet.
Tingeret [b] ut ferrum natorum ſanguine mater,
Concitus à læſo fecit amore dolor.
Fecit amor ſubitas volucres cum pellice regem,
Quæque ſuum luget nunc quoque mater Ityn.

Pellice deprensâ, [c] quoties facit ira nocentem
Hunc 7 ſexum; rabie jecur incendente, feruntur
Præcipites; ut ſaxa jugis abrupta, quibus 8 mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
——— Duri [d] magno ſed amore dolores

Polluto,

Polluto, notumque furens quid 9 fœmina poſſit.

Nulla [e] vis flammæ, tumidique venti,
Tanta; nec teli metuenda torti;
Quanta, cùm conjux viduata tedis
Ardet & odit.
Cæcus eſt ignis ſtimulatus irâ,
Non regi curat, patiturve frænos:
Non timet mortem: cupit ire in ipſos
Obvius enſes.

Autborum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 373. b Ov. Triſt *L.* 2. *v.* 387. c Juv. *Sat.* 6. *v.* 648. d Virg. Æn. *L.* 5. *v.* 5. e Sen. Med. *v.* 579.

Notæ.] 1 *Furoris indicia.* 2 *Bacchi, cujus patria Thebæ, quas olim tenuerunt Aones.* 3 *Furore correpta.* 4 *Suâ manu interfectos.* 5 *Medea, ita dicta à Phaſi Colchorum fluvio, ab Iaſone repudiata, ut Creüſam Creontis Corinthi regis filiam uxorem duceret.* 6 *Progne quæ dolore ſororis ſuæ Philomelæ à marito Tereo ſtuprum paſſæ, Itym filium ſuâ manu necuit.* 7 *Fœmininum.* 8 *Inferior cui incumbebant ſaxa.* 9 *Dido ab Æneâ derelicta.*

CAP. CXLV.

Dux præit exemplo.

[a] Gaudeat in magno præcedens agmine ductor
Imperium perferre ſuum: tum juſſa cohortes
Acriùs, exemplo ducis extimulante, capeſſent.
Scilicet [b] in vulgus manant exempla regentûm,
Utq; ducum lituos, ſic mores, 1 caſtra ſequuntur.
Neu [c] renuas ductor, primus ſumſiſſe laborem;
Primus iter carpſiſſe pedes; partemve ſubire;
Idem expugnati ſta primus in aggere muri.
Exerceque ſitim, & ſpectato à fonte recede.

Inventis [d] utêre 2 cibis; ſolabere partes
Æquali ſudore tuas; ſi collis iniquus,
Primus ini; ſylvam ſi cædere 3 provocat uſus,
Sumtâ ne pudeat quercum ſtraviſſe bipenni.
Calcatur ſi pigra palus, tuus antè profundum
Prætentet ſonipes; fluvios tu protere curſu
Hærentes glacie; liquidos tu ſcinde natatu.
Nunc eques in mediis equitum te conſere turmas;
Nunc pedes aſſiſtas pediti; tum promptiùs ibunt
Te ſocio; tum conſpicuus gratuſque feretur
Sub te 4 teſte labor. ———
Idem [e] correptis ſternacem ad prœlia frænis
Frangere equum, & famam lethalis amare lacerti;
Ignotique amnis tranare ſonantia ſaxa
Gaude, ac adversâ populos arceſſere ripâ;
Primus [f] inire manu, poſtremus ponere Martem.
Implicitas [g] magno Cæſar torpore cohortes
Cùm vidit, raptam primus vibrare bipennem
Auſus, & aëriam ferro præcidere quercum.

Authorum Loca.] a Sil. Ital. *L.* 1. *v.* 249. b Claud. *de* Laud. Still. *L.* 1. *v.* 167. c Sil. Ital. *L.* 1. *v.* 243. *& infra.* d Claud. *de* 4 Conſ. Honor. *v.* 342. e Sil. It. *L.* 1. *v.* 261. f Id. *v.* 160. g Lucan. *L.* 3. *v.* 432.

Notæ.] 1 *Milites in caſtris. Metonym.* 2 *Caſu obviis.* 3 *Poſtulat.* 4 *Inſpiciente.*

CAP.

CAP. CXLVI.

Indigent honesti, diteſcunt improbi.

[a]MUltis caſta licèt mens, & ſine crimine conſtet
Vita; tamen probitas cum paupertate jacebit.
Aude [b] aliquid brevibus 1 Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid: probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, 2 Prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula 3 caprum.
Qui [c] pelago credit, magno ſe fœnore tollit:
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro:
Vilis adulator picto jacet ebrius 4 oſtro:
Et qui ſolicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola 5 pruinoſis horret facundia pannis;
Atque inopi linguâ 6 deſertas invocat artes.

Res [d] humanas 7 ordine nullo
Fortuna regit; ſpargitque manu
Munera 8 cæcâ, pejora fovens.
Vincit ſanctos dira libido:
Fraus ſublimi regnat in aulâ.
Triſtis virtus perverſa tulit
Præmia recti: caſtos ſequitur
Mala paupertas; vitioque potens
Regnat adulter. ———

O [e] Fortuna viris invida fortibus,
Quàm non æqua bonis præmia dividis!
Euryſtheus 9 facili regnat in otio;

Alcmenâ 10 genitus bella per omnia
Monſtris 11 exagitat 12 cœliferam manum.

Iniqua [f] rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit. ———

Authorum Loca.] a Lucan. Paneg. *ad* Piſon. *v.* 109. b Juv. *Sat.* 1. *v.* 73. c Petron. Metr. 10. d Sen. Hippol. *ver.* 974. e Sen. Herc. Fur. *v.* 524. f Id. *v.* 325.

Notæ.] 1 *Exilio, Gyaros enim inſula in Ægeo mari, quò exules deportabantur.* 2 *Magnificas civium divitum villas.* 3 *Signum capri in exteriore peculi parte exſculptum.* 4 *Toro purpureo.* 5 *Non frigus arcentibus.* 6 *Negligentes.* 7 *Conſilio.* 8 *Incerta, ignara, quippe quæ nec fas, nec nefas penſi habet.* 9 *Mycenarum Tyrannus, Herculi inimicus.* 10 *Hercules Heroum celeberrimus.* 11 *Domandis.* 12 *Illam Herculis manum quæ tulit cœlum & Deos.*

CAP. CXLVII.

Sapiens eſt omnibus aptus.

[a]PEctoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ;
Qui ſapit innumeris moribus aptus erit.
Utque levis 1 Proteus modò ſe tenuabat in undas;
Nunc leo, nunc arbor, nunc erat hirtus aper.
Cautum [b] quicquid agit, quoquò veſtigia movit,
Componit furtim ſubſequiturque decor:
Talis in æterno felix 2 Vertumnus olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Opportuna [c] ejus cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus erit.
Non [d] tibi conveniet cunctis modus unus agendis:
Pro vento velum flectere diſce tuum.

Hi

Hi jaculo piſces, illi capiuntur ab hamis,
Hos cava contento retia funе trahunt.
Nec [e] levitas culpanda tua eſt; non ſemper eodem
Impoſitos vento panda carina tulit.
Sed modò 3 Threïcio Boreâ, modò currimus Euro:
Sæpe tument Zephyro lintea; ſæpe Noto.
Aſpice ut in curru modò det fluitantia rector
Lora; modò admiſſos arte retentet equos.

Inſipiens [f] eſto, cùm tempus poſtulat aut res:
Stultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt.
Conſtans [g] & levis, ut res quæque expoſtulat, eſto:
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.
Omnis [h] Ariſtippum decuit ſtatus, & color, & res.
Et [i] quoniam variant animi, variamus & artes.
Temporibus [k] ſervire decet: qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit; ſi pax, poſitis toga veſtiet armis;
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebunt.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 759. b Tib. *L.* 4. *El.* 2. *v.* 7. & *v.* 13. c Prop. *L.* 4. *El.* 2. *v.* 21. d Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 765, & *v.* 763. e Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 429. f Cat. *L.* 2. *Diſt.* 18. g Cat. *L.* 1. *Diſt.* 7. h Hor. *L.* 1. *Ep.* 17. *v.* 23. i Ov. Rem. Am. *v.* 525. k Lucan. Paneg. *ad* Piſ. *v.* 143.

Notæ.] 1 *Deus marinus in varias ſe formas vertens.* 2 *Deus inter veteres Latinos in omnes ſe mutans ſpecies.* 3 *A Thracia ſpirante.* 4 *Philoſophum, qui voluptatem ſummum bonum ſtatuit, ſeque rebus cunctis dexterè accommodabat.*

CAP. CXLVIII.

Multis divitiæ reatûs cauſa.

UT timet inſidias, qui ſcit ſe ferre viator
Cur 1 timeat: tutum carpit inanis iter.
Sic reus ille ferè eſt, de quo victoria lucro
Eſſe poteſt; inopis 2 vindice facta carent.
Dum rubus & ſentes tantummodo lædere natæ,
Spinaque vindictâ cætera tuta ſuâ eſt:
Te, nux, ſaxa petunt; ſoli quia cauſa 3 petendi eſt:
Frondibus intactis cætera turba virent.
Fructus obeſt: peperiſſe nocet: nocet eſſe feracem:
Quæque fuit multis, & tibi præda malo eſt.
Præda malo, 4 Polydore, fuit tibi: præda nefandæ
Conjugis 5 Aonium 6 miſit in armâ virum.
Heſperii 7 regis pomaria tuta fuiſſent:
Una ſed immenſas arbor habebat opes.
Sic, ubi detracta eſt à te tibi 8 cauſa pericli,
Quod ſuper eſt tutum, 7 Pontice Caſtor, habes.
Etſi nudus opum es, nudum tamen expedit eſſe;
Non ſpolium de te, quod petat, hoſtis habet.

Si [b] qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat Romæ; [c] ſic & cuicumque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent;
Rufino 10 populandus erat. Dominoque parabat
Exitium fœcundus ager: metuenda colonis
Fertilitas. [d] Magnos 11 Senecæ prædivitis hortos
Clauſit, & egregias 12 Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors: rarus venit in cœnaculo miles.

Pauca

Pauca licèt portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus, gladium contumque timebis.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Authorum Loca.] a Ov. *El. de* Nuce *v.* 43, *& v.* 113, *& v.* 107, *& v.* 165, *& v.* 129. b Petron. *de* bello Civ. *v.* 5. c Claud. *in* Ruf. *L.* 1. *v.* 188. d Juv. *Sat.* 10. *v.* 16, *&* 22.

Notæ.] 1 *Aurum gemmas & bujuſmodi alia, quæ latronès petunt.* 2 *Qui pœnas irrogaret.* 3 *Paſſive cur petaris.* 4 *Filii regis Priami, à Polymneſtore Thraciæ rege auri (ſimul tecum commiſſi) cupidi, necati.* 5 *Eriphyles, quæ aureo monili corrupta latentem maritum Amphiaraum prodidit, & ad bellum Thebanum miſit, unde ipſa ſciret eum nunquam redituram.* 6 *Amphiaraum regem illius Bœotiæ partis quæ dicta fuit Aonia.* 7 *Atlantis in cujus horto creverunt aurea poma.* 8 *Teſtes.* 9 *Animal quod in Ponto naſcitur.* 10 *Rapaci aulico ſub Imperatore Arcadio.* 11 *Optimi viri à Nerone occiſi.* 12 *Nobilium Romanorum.*

CAP. CXLIX.

Malè parta malè dilabuntur.

NON malè quæſitis ſuccedit tertius hæres;
Sæpe citò pejùs, res malè parta perit.
In [b] prolem dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit.
Vendidit 1 ille 2 leves circum Palatia fumos;
Fudit 3 hic in Reges impia verba ſuos.
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refundit opes.
Nulli [c] longa manent ſcelerati gaudia lucri:
Quas malè quæſivit, tam malè perdit opes.

Tu [d] nova prædari cupiens, jam parta reponas;
Paſtorique lupus ſcelerum delicta priorum

Intra 4 ſepta luat. [a] Nebulo quodcunque profundâ
Traxit avaritiâ, luxu pejore refundit.
Impius [f] immenſi revolutus culmine fati
Turpe retexit iter: qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infenſa freti, ſcelerumque referta
Divitiis, multaſque diu populata carinas,
Incidit in magnam bellatricemque 5 triremem:
Dum prædam de more parat; 6 viduataque cæſis
Remigibus, ſciſſis velorum debilis 7 alis,
Orba gubernaclis, antennis ſaucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur & undâ;
Vaſtato 8 tandem pœnas luitura profundo.

Authorum Loco.] [a] Verſus ſatis notus. [b] Claud. Epigr. 17. *in* Curetium. [c] Sen. Oedip. *v.* 236. [d] Claud. *de* Bell. Getico. *v.* 163. [e] Claud. *de* Bell. Gild. *v.* 163. [f] Claud. *de* 6. Conſ. Honor. *v.* 131.

Notæ.] 1 *Spem adipiſcendæ principis benevolentiæ pretio vendidit.* 2 *Pater.* 3 *Filius verbo tenus læſæ majeſtatis reus.* 4 *Intra ovile deprehenſus.* 5 *Navem bellicam.* 6 *Orbata.* 7 *Metaph. Navis enim velis fertur, ut avis alis.* 8 *Rapinis toties à ſe populato.*

CAP. CL.

Legendis veteribus proficis.

[Platonis

[a] NUnc ego vel ſtudiis animum emendare 1
Incipiam: aut 2 hortis, docte 3 Epicure, tuis:
Perſequar aut ſtudium 4 linguæ, 5 Demoſthenis 6 arma,
Librorumque tuos, docte 7 Menandre, 8 ſales.
Scilicet [b] ingenium placidâ mollitur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter eunt.
Lectio crebra docet; [c] felix, quicumque dolore
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

Deſine

Desine nec Latios, nec Graios volvere libros,
Si quis multa leget, multa legenda sciat.

Tu [d] juvenis, Musis, animus dum mollior, instes,
Et quæ mox imitere, legas: nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces, assuesce futuræ
Militiæ: Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere 9 Brutum.
Perfidiam damnas? 10 Metî satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? 11 Torquati despue mores.
Mors impensa bonum? 12 Decios venerare ruentes.
Qui rectè saperet, [e] det primos versibus annos;
Mæoniumque 13 bibat felici pectore 13 fontem.
Mox & 14 Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, & ingentis quatiat 5 Demosthenis 6 arma;
Grandiaque indomiti 15 Ciceronis verba minetur,
His animum succinge bonis; sic flumine largo
Plenus, Pierio defundet pectore verba.
—— [f] Vos 16 exemplaria Græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Authorum loca] a Prop. *L.* 3. *El.* 20. *v.* 25. b Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 545. c Tib. *L.* 3. *El.* 6. *v.* 43. d Claud. *in* 4 Cons. Hon. *v.* 396. e Petron. metr. 1. *v.* 11. f Hor. *de* Arte Poet. *v.* 268.

Notæ.] 1 *Philosophorum principis.* 2 *Philosophia quam in hortis docuisti.* 3 *Philosophia insignis.* 4 *Eloquentiæ.* 5 *Oratorum Græcorum eloquentissimi.* 6 *Eloquentiam, quâ Oratores velut armis muniuntur.* 7 *Poëtarum Comicorum optime.* 8 *Joces & acutè dicta.* 9 *Romanorum libertatis vindicem acerrimum.* 10 *Albæ regis, qui medius inter pugnantes Romanos & Fidenates stetit, ut belli fortunam expectaret.* 11 *Qui filium contra jussa pugnantem, etsi victorem securi percussit.* 12 *Se pro patriâ Diis inferis devoventes.* 13 *Homeri opera.* 14 *Doctrina Socratis Philosophorum principis.* 15 *Romanorum Oratorum eloquentissimi.* 16 *Scripta ad imitationem proposita.*

CAP. CLI.

Læſus pudor irreparabilis.

FOemina, contempti cùm rupit fræna pudoris,
Heu neſcit 1 captæ mentis 2 habere modum!
Flamma per incenſas citiùs ſedetur ariſtas,
Fluminaque ad fontis ſint reditura caput:
Et placidum 3 Syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hoſpitio ſæva 4 Malea ſuo:
Quàm quis fœmineos poſſit reprehendere curſus;
Et rapidæ ſtimulos frangere nequitiæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytæmneſtræ, propter quam tota Mycenis
Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus?
Tuque ô Minoâ venundata, Scylla, figurâ:
Tondens purpureâ regna paterna comâ.
Hanc igitur dotem virgo deſponderat hoſti;
Niſe, tuas portas fraude recluſit ámor.
Huic, [b] quæ jam vellet fines tranſire pudoris,
Finis, quâ poſſit ſiſtere, nullus adeſt.
——— Nullâ [c] reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt; deperit illa ſemel.

Cùm [d] ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: nam
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit [quis
Ejectum ſemel 5 attritâ de fronte ruborem;

Quiſnam

Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris
Flagitio?—— [uno

Læſus [e] redire, cùm perit, neſcit pudor.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 19. *v.* 3. b Ov. *Ep.* Hel. *ad* Par. *v.* 67. c Ov. *Ep.* Oenon. *ad* Par. *v.* 102. d Juv. *Sat.* 13. *v.* 237, & *v.* 240. e Sen. Agam. *v.* 113.

Notæ.] 1 *Libidine inſanæ.* 2 *Adhibere moderationem.* 3 *Sinus in mari Libyco navibus periculoſiſſimi.* 4 *Laconiæ promontorium navigantibus inhoſpitum.* 5 *Perfricta,* Nam qui perfricuit frontem, poſuitque pudorem. *Mart.*

CAP. CLII.

—*Viciſſe minorem Dedecori eſt.*—

DEdecori eſt, ſi quis certaverit hoſte minori.
[a] Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.
Quid [b] tu ſæva fugis magni, lepus, ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis iſti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui ſanguine tanta ſitis.
Scilicet [c] à magnis ad te deſcendere tauris;
Et quæ vix 1 cernant, frangere colla velint?
Quod [d] ruet in tergum; vel quos procumbet in
Alta juvencorum 2 vulnera figet ubi? [armos?
Præda canum lepus eſt; vaſtos non implet hiatus:
Non timeat 3 Dacus Cæſaris arma puer.
Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.
Turpe [e] Deo 4 pelagi 5, juvenem terrere natantem:
Gloriaque eſt ſtagno quolibet iſta minor.

Hunc decet aut magnas magnum jactare carinas;
Aut etiam totis classibus esse trucem.

In [f] brevibus nunquam sese probat 6 Æolus antris:
Nec capit angustus Boreæ certamina collis:
Alpes ille quatit, 8 Rhodopeïa culmina lassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma sanctis:
Nec parvi frutices iram metuere 9 Tonantis:
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

In [g] Tauros Libyci ruunt Leones;
Non sunt papilionibus molesti.

Placet [h] in vulnus maxima cervix.

Authorum Loca.] a Ov. Trist. *L.* 2. *v.* 216. b Mart. *L.* 1. *Ep.* 23, & *infra.* c Mart. *L.* 1. *Ep.* 52, & *infra.* d Id. *Ep.* 16. e Ov. *Ep.* Her. *ad* Leand. *v.* 145, & *supra.* f Claud. *Ep. ad* Hadrian. *v.* 35. g Mart. *L.* 12. *Ep.* 62. h Sen. Agam. *v.* 99.

Notæ.] 1 *Ob tenuitatem.* 2 *Juvencis infricta vel infligenda; quibus nullus est locus in lepore.* 3 *Imbellis bestiis, qualis erat populus Dacus.* 4 *Neptuno.* 5 *Leandrum.* 6 *Ventorum Deus.* 7 *Montes altos inter Galliam & Italiam.* 8 *Altos Thraciæ montes.* 9 *Jovis.*

CAP. CLIII.

Imperia violenta non diuturna.

[a] NON si excubiæ, non circumstantia pila,
Quàm tutatur amor, non extorquebis amari;
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit: invideant claris, forteisque trucident,
Muniti vivant gladiis; septique venenis

Anci-

Ancipites habeant arces, trepidique minentur;
Tu civem patremque geras.———
——Nec [b] polluis unquam
Laurum 1 fævitiâ; cives nec fronte ſuperbâ
Deſpicis, aut trepidam vexas legionibus urbem.
Sed verus patriæ 1 Conſul, ceſſantibus armis,
Contentus lictore venis: nec inutile quæris
Ferri præſidium, ſolo munitus amore.

Amor [c] ſuorum multa dominantem vetat:
Qui vult amari 3 languidâ regnet manu:
Inviſa nunquam imperia retinentur diu.
Ferrum [d] tuetur principem; at meliùs fides.
Decet timeri Cæſarem: at plus diligi.
Violenta [e] nemo regna continuit diu.
Moderata durant; [f] quiſquis eſt placidè potens,
Dominuſque vitæ, ſervet innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regat,
Animæque parcat civium: [g] hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies;
Prodeſſe miſeris; ſupplices fido 4 lare
Protegere. Nunquam regna cuſtodit metus.
Qui [h] ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timentes: metus in auctorem redit.
Iniqua [i] nunquam regna, perpetuò manent.

Authorum Loca.] a Claud. *de* 4. Conſ. Honor. *v.* 281, & *v.* 290. b Id. *de* laud. Stil. *L.* 3. *v.* 217. c Sen. Theb. *v.* 657. d Sen. Oct. *v.* 456. e Sen. Tro. *v.* 258. f Sen. Herc. Fur. *v.* 739. g Sen. Med. *v.* 222. h Sen. Oedip. *v.* 705. i Sen. Med. *v.* 196.

Notæ.] 1 *Victoriam, cujus inſigne erat corona ex lauro.* 2 *Summus Romæ Magiſtratus, ſic dictus, quia civibus conſulere debebat.* 3 *Miti.* 4 *Fido domûs præſidio.*

CAP.

Vita data est utenda, data est hinc recedere
Mutua, nec certâ persolüenda die.
Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis:
Illa rapit juvenes; sustulit illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit: totumque per c
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.
Lanificas [b] nulli 1 tres exorare sorores
Contigit: observant, quem statuere, diem.
Divitior 2 Crasso, 3 Thrasea constantior ipso,
Major & eloquio sis Cicerone licèt:
Nil adicit penso 4 Lachesis, fusosque sororum
Explicat, & semper de tribus una secat.
Ergo [c] licèt ferro cautus se condat & ære,
Mors tamen inclusum protrahat inde caput.
Nirea 5 non facies, non vis exemit Achillem
Crœsum 6 aut 7 Pactoli quas parit humor c
Exoranda 8 canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba 9 senis
Nullo [d] fata loco possis excludere; cùm mo
Venerit in medio 10 Tibure 11 Sardinia e

Miſta ſenum & juvenum denſantur funera: nullum
Sæva caput 14 Proſerpina fugit.

Pallida [f] mors æquo pulſat pede, pauperum tabernas
Regumque turres.——

Omnia [g] debemur 15 vobis; paulumque morati,
Seriùs aut citiùs 16 ſedem properamus ad unam.
Tendimus 16 huc omnes: hæc eſt domus ultima.

Autborum Loca.] a Pedon. Eleg. in obit. Druſi *v.* 369. b Mart. *L.* 4. *Ep.* 54. c Prop. *L.* 3. *El.* 18. *v.* 25. d Mart. *L.* 4. *Ep.* 60. e Hor. *L.* 1. *Od.* 28. *v.* 15. f Id. *Od.* 4. *v.* 13. g Ov. Met. *L.* 10. *v.* 32.

Notæ.] 1 *Tres Parcæ, quæ hominum metiuntur vitam à ſtaminibus quæ ex ſuâ deducunt colu.* 2 *Romanorum opulentiſſimo.* 3 *Virgo ſummâ virtute animique conſtantiâ prædito.* 4 *Una è Parcis.* 5 *Ducum Græcorum ad obſidium Trojæ formoſiſſimum.* 6 *Lydiæ regem ditiſſimum.* 7 *Fluvii auriferi.* 8 *Cerberi tricipitis Inferorum canis.* 9 *Charontis, qui animus trans Styga portat.* 10 *Oppido Italiæ ære ſalubri. Inſula cœlo peſtilenti.* 12 *Mors.* 13 *Bellona. Enio, aliæque à quibus conſlantur bella quæ ſunt Martis ludi.* 14 *Mors, cujus erat arbitra Proſerpina, quæ morientium crines tondebat.* 15 *O Parcæ.* 16 *Ad ſepulchrum.*

CAP. CLV.

Proprium eſt ſtultitiæ aliorum vitia cernere, obliviſci ſuorum.

[a] CUR aliena magis quàm crimina noſtra videmus?
An quia noſtra procul ſint, aliena propè.
Crimina [b] qui cernunt aliorum, nec ſua cernunt;
Hi ſapiunt aliis, deſipiuntque ſibi.

Ut [c] nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo!
Sed præcedenti ſpectatur 1 mantica tergo.

Stultus,

Stultus, [d] & improbus hic amor eſt, dignuſq; notari,
Cùm tua perviděas oculis mala lippus, [2] inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm, [contrà
Quàm aut [3] aquila, aut [4] ſerpens Epidaurius? at tibi
Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi.
Loripedem [e] rectus derideat, [5] Æthiopem albus.
Quis tulerit [6] Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non [7] miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat [8] Verri? homicida [9] Miloni? [gum?
Clodius [10] accuſat mœchos; [11] Catilina [12] Cethe-
In tabulam [13] Syllæ ſi dicant diſcipuli [14] tres. [lex.
Tecum [f] habita; ut nôris quàm ſit tibi [15] curta ſupel-
Vir [g] bonus & prudens, (qualem vix repperit unum,
Millibus è multis hominum conſultus [16] Apollo)
Judex ipſe ſui, ſe totum explorat ad [17] unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus.

—— Suus [h] cuique attributus eſt error:
Sed non videmus [1] manticæ quod in tergo eſt.

Autborum Loca.] a Audoen. *L.* 11. *Ep.* 26. b Audoen. *L.* 3. *Ep.* 79. c Perſ. *Sat.* 4. *v.* 23. d Hor. *L.* 1. *Sat.* 3. *v.* 24. e Juv. *Sat.* 2. *v.* 23. f Perſ. *Sat.* 4. *v.* 42. g Auſonii Eidull. 16. h Catull. Car. 20. *v.* 20.

Notæ.] 1 *Æſopi fabula quædam tradit homines duas geſtare manticas, unam antè, alteram retro; in priorem autem aliena crimina mitti, in poſteriorem ſua: unde fit ut ipſi noſtra nunquam, aliena ſemper vitia cernamus.* 2 *Collyrio oblitis, & inde malè videntibus.* 3 *Cujus viſus acutiſſimus.* 4 *Draco in urbe Epidauro. Pro quovis ſerpente. Synecd.* 5 *Colore nigro.* 6 *Fratres Romanos admodum ſeditioſos.* 7 *Præ indignatione exclamet ut ille apud Terent.* O cœlum, ô terrâ, ô maria Neptuni! 8 *Qui à Cicerone accuſatus quòd univerſam Siciliam expilaverat.* 9 *Qui Clodium interfecit.* 10 *Adulteriis infamis.* 11 *Qui in Romanam Rempublicam conjuravit.* 12 *Conjurationis ſocium.* 13 *Qui primus tabulam proſcriptionis propoſuit, quâ multos ſibi inimicos juſſit occidi.* 14 *Auguſtus, Antonius, & Lepidus proſcriptionis Syllanæ imitatores.* 15 *Anguſta res familiaris pro virtutum defectu.* 16 *Oraculum Apollinis.* 17 *Exactè.*

CAP.

CAP. CLVI.

Summa primò navigantium audacia.

Ontra te, ſolers hominum natura fuiſti;
Et nimium damnis ingenioſa tuis.
id tibi cum pelago? terris contenta fuiſſes.
Cur non & cœlum tertia regna petis?
rra [b] parum fuerat: fatis adjecimus undas:
Naturæ miſeras auximus arte vias.

is [c] rude, & abſciſſum miſeris animantibus æquor
cit iter? 1 ſolidæque pios telluris 2 alumnos
pulit in fluctus; pelagoque immiſit hiantes?
dax ingenii; nec enim temeraria virtus
3 magis, ſummæ gelidum quæ 4 Pelion 4 Oſſæ
ıxit, 5 anhelantemq; jugis bis preſſit 4 Olympum.
que adeone parum lentas tranſire paludes?
gnaque, & anguſtos ſummittere pontibus amnes?
ıus in 6 abruptum, 7 gentileſq; undique terras
gimus, exiguâ clauſi trabe, & aëre nudo.
ıunc [d], & ventis animam committe, 8 dolato
ınfiſus ligno digitis à 9 morte remotus
ıatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

i [e] robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
ɔmmiſit pelago ratem
Primus; nec timuit præcipitem Africum

Decer-

Decertantem Aquilonibus,
Nec 10 triſtes Hyadas, nec rabiem Noti!
Quem mortis timuit gradum,
Qui 11 ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos 12 Acroceraunia?

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terraſque ſuas poſt terga videns,
Animam 13 levibus credidit auris;
Dubioque ſecans æquora curſu,
Potuit tenui fidere 8 ligno,
Inter vitæ mortiſque vias
Nimium 9 gracili limite ducto?

' *Authorum Loca.*] a Ov. Am. *L.* 3. *El.* 8. *v.* 45, & 49. b Prop. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 31. c Stat. *L.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 61. d Juv. *Sat.* 12. *v.* 57. e Hor. *L.* 1. *Od.* 3. *v.* 9, & 17. f Sen. Med. *v.* 301.

Notæ.] 1 *Firmæ.* 2 *Homines terrâ enutritos.* 3 *Gigantum audacia.* 4 *Montes Theſſaliæ, quibus quaſi gradibus uſi ſunt Gigantes cœlum aſcenſuri.* 5 *Onere laborantem.* 6 *In mare precipites.* 7 *Patrias, unde ſumus oriundi.* 8 *Navi ex ligno dolabra lævigato factæ. Metonym.* 9 *Alluſum ad Anacharſis dictum qui cum didiciſſet navis latus eſſe quatuor digitos craſſum: tantum (ait) à morte diſtant, qui navigant.* 10 *Pluvioſas.* 11 *Lacrymis non madidis.* 12 *Epiri montes ſæpe fulmine percuſſi, crebriſque naufragiis infames.* 13 *Vitam.*

CAP.

CAP. CLVII.

Dolores levant ſtudia.

DEcreſcunt curæ, [a] ſtudio minuente laborem,
Carminibuſque animi ſolicitudo fugit.
Forſitan [b] hoc ſtudium poſſit furor eſſe videri;
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
Semper in 1 obtuitu mentem vetat eſſe malorum,
Præſentis casûs immemoremque facit.
Utque ſuum 2 Bacche non ſentit ſaucia vulnus,
Dum ſtupet 3 Idæis exululata jugis:
Sic ubi mota calent ſacro mea pectora 4 thyrſo,
Altior humano ſpiritus ille malo eſt.
Utque ſoporiferæ biberem ſi pocula 5 Lethes,
Temporis adverſi ſic mihi ſenſus abeſt.
Quot [c] mala pertulimus; quorum medicina, quieſq;
Nulla, niſi in ſtudio, 6 Pieridumque 7 morâ?
Nolumus aſſiduis animum tabeſcere curis,
Quæ tamen irrumpunt, quoq; vetantur, eunt.
Seu [d] ſtupor huic ſtudiò, ſive eſt inſania nomen;
Omnis ab hâc curâ mens relevata mea eſt.
Conſequor ex illâ casûs oblivia noſtri;
Hanc 8 Meſſem ſatis eſt ſi 9 mihi reddat humus.

Authorum Loca.] a Ov. Met. *L.* 4. *v.* 295. b Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 37. c Id. *L.* 5. *El.* 1. *v.* 33, & *v.* 77. d Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 9. *v.* 11. e Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 6. *v.* 55.

Notæ.] 1 *Contemplatu.* 2 *Mulier Bacchi Orgia celebrans.* 3 *Ululans monte Idæ.* 4 *Sacro carminum furore: thyrſus enim erat Bacchantium haſta frondibus involuta.* 5 *Fluvii apud Inferos oblivionem inducentis.* 6 *Muſarum.* 7 *Otio ſtudiis vacandi.* 8 *Fructum, nempe curarum requiem.* 9 *Ovidii de ſe verba.*

CAP.

CAP. CLVIII.

Tutus ubique pius.

[a]HAud timet incoctum generoſo pectus honeſto
Aut ſtrictos enſes, militis aut rabiem;
Spicula nec Mauri lethali tincta veneno,
Quæ geminam ſubitò tela tulere necem.
Me lupus in ſylvis furibundus vidit inermem,
Quique aliis timor eſt, territus ipſe fugit.
Me pone extremis ignoti partibus orbis,
In quibus æternâ ſub nive terra latet;
Aut remove, medios ubi ſol accenderit æſtus,
Et ſiccam nimiis ignibus urit humum:
Securus vivam, modò ſim ſine fraude doloque;
Fata in me poterint juris habere nihil.
Cùm [b] foret Æneæ cervix ſubjecta 1 parenti,
Dicitur ipſa viro flamma dediſſe viam.
Quiſquis [c] honeſtus erit, Scythicis licèt ambulet oris;
Nemo adeò ut nocear 2 barbarus eſſe volet.

Tutus ubique bonus [d], hic murus aheneus eſto
Nil 3 conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.

Integer [e] vitæ, ſceleriſque purus,
Non eget 4 Mauri jaculis nec arcu,
Nec venenatis 5 gravidâ ſagittis,
- Fuſce 6, pharetrâ.
Sive per 7 Syrtes iter æſtuoſas,
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum 8, vel quæ loca 9 fabuloſus
Lambit 10 Hydaſpes.

Juſtum

Juſtum [f] & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non Vultus inſtantis tyranni
Mente quatit [11] ſolida; nec Auſter
Dux [12] inquieti turbidus [13] Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Autborum Loca.] a E Libr. Angl. cui titulus, *The improvement of teaching the Latin Tongue.* p. 116. b Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 33. c Prop. *L.* 3. *El.* 15. *v.* 13. d Hor. *L.* 1. *Ep.* 1. *v.* 60. e Hor. *L.* 1. *Od.* 22. *v.* 1. f Hor. *L.* 3. *Od.* 3. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Anchiſæ quem incendiâ Trojâ humeris eripuit.* 2 *Crudelis.* 3 *Nullius ſceleris conſcium eſſe.* 4 *Mauri erant jaculatores optimi.* 5 *Plena.* *Metaph.* 6 *Viri nomen cui hæc inſcripſit Horatius.* 7 *Loca Africæ periculoſa.* 8 *Scythiæ montem altum & inhabitabilem.* 9 *De quo multæ extant fabulæ.* 10 *Aurifer Indiæ fluvius.* 11 *Mentis Conſtantia.* 12 *Dominator, quem alibi ſimili Metaph. vocat Maris Arbitrum & Tyrannum.* 13 *Maris Adriatici.*

CAP. CLIX.

Juventus læta, Senectus triſtis.

[a] DIverſos diverſa decent; non omnibus annis
Omnia conveniunt: res priùs apta nocet.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.
Hunc tacitum triſtemque decet; ſit clarior ille
Lætitiâ, & linguæ garrulitate ſuæ.
Turpe ſeni vultus nitidi, veſteſque decoræ;
Atque etiam eſt ipſum ludere turpe ſeni.
Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus,
O miſeri, quorum gaudia crimen habent!

Cum

Cùm [b] vigor & quaſſo languent in corpore vires;
Non luſus, juveni qui placuere, juvant.
Tum [c] ſubrepit iners ætas; nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
At [d] puer es; nec te quicquam, niſi ludere, oportet;
Lude: decent annos mollia regna tuos.

Imberbis [e] Juvenis, jam nunc cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſq; & aprici gramine campi.
Multa ferunt anni 1 venientes commoda ſecum;
Multa 2 recedentes adimunt.——
Jura [f] ſenes nôrint, & quid liceatque, nefaſque,
Faſque ſit inquirant; & legum 3 examina ſervent;
Conveniens teneris annis & grata voluptas.

Cùm [g] facile pectus, grata tunc juveni 4 Venus,
Exultat animus; optimos vitæ dies
Effluere 5 prohibe? potius annorum memor
Mentem 6 relaxa; propria deſcripſit Deus
Officia, & ævum per ſuos ducit gradus:
Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem.
Amare juveni fructus eſt, crimen ſeni.

Authorum Loca.] a Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 93, & 168. b Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 3. c Tibul. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 85. d Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 23. e Hor. *de* Ar. Poët. *v.* 161, & *v.* 175. f Ov. Met. *L.* 9. *v.* 550. g Sen. Hip. *v.* 446.

Notæ.] 1 *Accreſcentes priori parte vitæ.* 2 *Decreſcentes in ſenectute.* 3 *Decreta.* 4 *Voluptas, cujus Venus Dea.* 5 *Sine fruitione tranſire.* 6 *Luſibus recrea.*

CAP.

CAP. CLX.

Mala aſſueta relinquere difficile eſt.

[a] DIfficile eſt longum ſubitò deponere amorem;
Linquere ſueta diu, quæ nocuere, grave eſt.
Non [b] facilè incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.
Scilicet [c] eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum,
Tempus & aſſuetâ ponere in arte juvat.
Saucius 1 ejurat pugnam gladiator; & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil ſibi cum pelagi dicit foré naufragus undis;
Et ducit remos, quâ modò 2 navit aquâ.
Sentit [d] amans ſua damna ferè; tamen hæret in illis:
Materiam culpæ perſequiturque ſuæ.
Sic nova 3 Dulichio lotos guſtata palato,
Illo quo nocuit grata ſapore fuit.
Si [e] ſaperem 4, doctas odiſſem jure 4 ſorores;
Numina cultori pernicioſa ſuo.
Neve [f] equidem vellem (quoniam nocitura fuerunt)
Pieridum 5 ſacris 6 impoſuiſſe manum.
At nunc [g] (tanta meo comes eſt inſania morbo)
Saxa meum refero rurſus ad icta pedem.
Scilicet ut victus repetit gladiator 7 arenam,
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas:
Sic nos delectant, quamvis nocuere, libelli:
Et demens carmen carmine læſus, amo.
Quamvis [h] interdum, quæ me læſiſſe recordor,
Carmina devoveo, Pierideſque meas:

Cùm

Cùm bene devovi, nequeo tamen eſſe ſine illis;
Vulneribuſque meis tela cruenta ſequor.
Quæque modo 8 Euboïcis lacerata eſt fluctibus, audet
Graia Caphaream currere puppis aquam.
Sic [i], nè perdiderit, non ceſſat perdere luſor;
Et revocat cupidas alea blanda manus.

Dediſcit [k] animus ſerò, quod didicit diu.

Authorum Loca.] a Catul. Carm. 74. *v.* 13. b Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 7. *v.* 51. c Id. *El.* 6. *v.* 35. d Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 33, *& ſupra.* e Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 13. f Ov. Triſt. *L.* 4. *El.* 1. *v.* 27. g Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 15. h Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 8. *v.* 31. i Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 453. k Sen. Tro. *v.* 631.

Notæ.] 1 *Jure jurando ſe repetiturum negat.* 2 *Naufragus.* 3 *Ulyſſis palato, qui princeps erat Dulichii.* 4 *Studium Poëticæ, cujus deæ ſunt novem ſorores Muſæ.* 5 *Muſarum.* 6 *Carminibus.* 7 *Aream Amphitheatri in quo pugnabant gladiatores; Arenâ ſparſam, ne caderent.* 8 *Euboæ inſulæ ſcopulis cinctæ, inter quos plurimæ Græcorum naves fuſis Nauplii fictibus eò appellentes naufragio perierunt, prope montem Caphareum.*

CAP. CLXI.

Miſerrimi extra periculum.

[a] TUta petant alii; fortuna miſerrima [1] tuta eſt:
Nam timor eventûs deterioris abeſt.
Qui rapitur fatis, quid præter [2] fata requirat?
Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas.
Qui rapitur ſpumante ſalo, ſua brachia cauti
Porrigit: & ſpinas, duraque ſaxa capit.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet ad humanos feſſa venire ſinus.

Nec ſe vicino dubitat committere tecto,
  Quæ fugit infeſtos territa cerva canes.
Confugit interdum templi violator ad aram:
  Nec petere offenſi Numinis horret opem.
Dixerit 3 hoc aliquis tutum non eſſe; fatemur:
  Sed non per placidas it mea puppis aquas.

Miſerrimi [b] non dira, quâ veniunt, habent.
Solent [c] ſuprema 4 facere ſecuros mala;
Cuique ultima eſt fortuna, quid dubiam timet?
Tutò [d] movetur, quicquid extremo loco eſt.
Hunc [e] ego malorum maximum 5 fructum puto,
Nihil timere. [f] Cujus haud ultrà mala
Exire poſſunt, in loco tuto eſt ſitus.
Qui [g] nil poteſt ſperare, deſperet nihil.
Vicêre [h] noſtra jam metus omnes mala.
Equidem nec ullâ cœlites placo prece:
Nec, ſi velint ſævire, quò noceant, habent.
Fortunâ vires ipſa conſumpſit ſuas.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. L. 2. *El.* 2. *v.* 33, *& ſupra.* b Sen. Tro. *v.* 422. c Sen. Oedip. *v.* 386. d Id. *v.* 834. e Sen. Tro. *v.* 422. f Sen. Theb. *v.* 198. g Sen. Med. *v.* 163. h Sen. Agam. *v.* 689.

Notæ.] 1 *Quia nil pejus accidat.* 2 *Quid præter adverſorum extrema petat?* 3 *Nempe ad aram confugere.* 4 *Extremum.* 5 *Commodum.*

CAP. CLXII.

Soli inſunt maculæ ſuæ.

[a] UNicuique dedit vitium natura creato:
Omne [b] bonum multis miſcuit illa malis.
Crede mihi, [c] nihil eſt ex omni parte beatum:
Egregio [d] Veneris corpore nævus erat.

Nam [e] vitiis nemo ſine naſcitur. Optimus ille
Qui minimis urgetur. [f] Et hinc mortalibus, [1] ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam ſincera bonorum
Sors ulli conceſſa viro: quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit; bellis inſignior [2] ille,
Sed pacem fœdat vitiis: [3] hic publica felix,
Sed privata miſer; partitum ſingula quemque
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in armis;
Hunc rigor, hunc pietas illum ſolertia juris,
Hunc ſoboles caſtique tori. [g] Ductoribus ipſis
Præterea diviſus erat favor; æquior ille
Patribus [4], inviſus plebi: popularibus illi
Munito ſtudiis, languebat gratia Patrum.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 21. *v.* 17. b Tib. *L.* 2. *El.* 4. *v.* 36. c Hor. *L.* 2. *Od.* 16. d Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 16. *v.* 16. e Hor. *L.* 1. *Sat.* 3. *v.* 68. f Claud. *de* laud. Stil. *L.* 1. *v.* 25. g Id. 3. *v.* 44.

Notæ.] 1 *Ab orbe condito.* 2 *Ut Sylla & Marius.* 3 *Ut Auguſtus Cæſar.* 4 *Senatoribus.*

CAP.

CAP. CLXIII.

Moræ incommodæ.

[a] TOlle moras, cebus nocuit differre paratis:
Conſultanda diu ſunt peragenda citò.
Sed [b] propera; nec te venturas differ in horas;
Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit.
Dum [c] modò cauſidicum, dum te modò rhetora fingis,
Et non [1] decernis, ſtulte, quid eſſe velis:
Peleos 2, & Priami tranſit, vel Neſtoris ætas;
Et fuerat ſerum jam tibi deſinere.
Eja age, rumpe moras; 3 quo te ſpectabimus uſque?
Dum, quid ſis dubitas, jam potes eſſe nihil.
Cùm [d] mora non tuta eſt, totis incumbere remis
Utile, & admiſſo ſubdere calcar equo.

Rem [e] tibi quam noſces aptam, dimittere noli:
Fronte 4 capillatâ, poſt eſt 5 occaſio calva.
Quam [f] primùm rapienda tibi eſt occaſio prima;
Ne rurſus quæras quæ jam neglexeris antè.
Cur [g] lentè differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet; ſapere aude;
Incipe; qui rectè vivendi prorogat 6 horam,
Ruſticus exſpectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.
Cras [h] hoc fiet, idem cras fiet: quid? quaſi magnum
Nempe diem donas; ſed cum 7 lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumpſimus; ecce aliud cras
Egerit 8 hos annos: & 9 ſemper paulum erit ultrà.
—Turpis [i] lenti ſolertia Martis;

Audendo bella expedias: pigra extulit aſtris
Haud unquam ſeſe virtus: tu magna gerendi
Præcipita tempus: mors atra impendit agenti.

Autborum Loca.] a Lucan. *L.* 1. *v.* 281. b Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 93. c Mart. *L.* 2. *Ep.* 64. d Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 731. e Cat. *L.* 2. *Diſt.* 26. f Cat. *L.* 4. *Diſt.* 45. g Hor. *L.* 1. *Ep.* 2. *v.* 39. h Perſ. *Sat.* 5. *v.* 66. i Sil. Ital. *L.* 13. *v.* 772.

Notæ.] 1 *Statuis.* 2 *Patris Achillis grandævi, ut erant & Priamus rex Trojæ, & Neſtor Pyli princeps.* 3 *Quouſque expectabimus?* 4 *Unde temeratur, cùm veniat.* 5 *Temporis opportuni deus.* 6 *Tempus.* 7 *Dies.* 8 *Egereres eſt de totius vitæ ſummâ paulum abſumere.* 9 *Et ſic per hoc erat, paulum tuæ vitæ ultra & præteritum, quod nunquam rurſus adſequaris.*

CAP. CLXIV.

Fronti nulla fides.

[a] AH nunquam vitæ te fallat [1] ruga ſeveræ.
[b] Nequitiæ claſſes candida vela ferunt.
Ah [c] quoties texit culpam, quotieſque ſevero
Inſontis ſpeciem præbuit ore nocens?

Certiſſima [d] eſt regnare cupienti via,
Laudare modica: & otium & ſomnum [2] loqui.
Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies.
O [e] vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat; audacem quies;
Pietas nefandum; vera fallaces probant;
Simulantque molles dura.——

Fronti

Fronti [f] nulla fides; quis enim non vicus abundat
Triſtibus 3 obſcœnis? caſtigant turpia: verbis
Herculis 4 invadunt; & de virtute locuti,
Dum 5 Curios ſimulent, hi 6 Bacchanalia vivunt.
Fallit [g] enim vitium ſpecie virtutis, & umbrâ;
Cùm ſit triſte habitu, vultuq; & veſte ſeverum.
Quid [h] ſi quis vultu torvo ferus, & pede nudo
Exiguæque togæ ſimulet 7 textore 8 Catonem?
Virtutémne repræſentet, moreſque Catonis?

Nos [i] faſcinat præpoſteræ
Severitatis cultus; aufteri palam
Volumus videri, nec ſumus.
Loquimur ſevera, & delicatè vivimus:
Sic indoles eſt ſæculi.
Crepare mores inverecundi bonos
Audemus, & noſtri jacent.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 25. *v.* 13. b E fragmentis Petron. c Ov. Amor. *L.* 2. *El.* 19. *v.* 13. d Sen. Oed. *v.* 682. e Sen. Hippol. *v.* 917. f Juv. *Sat.* 2. *v.* 8. ibique paſſim. g Juv. *Sat* 14. *v.* 109. h Hor. *L.* 1. *Ep.* 19. *v.* 12. i Rapin. alicubi in libr. Carm.

Notæ.] 1 *Ficta ſeveritas rugoſâ & caperatâ fronte.* 2 *Verbis præ ſe ferre.* 3 *Severis ſpecie.* 4 *Quibus Herculem vitiorum profligator uſus eſt.* 5 *Sobrios, quales erat Marcus Curius homo optimus & continentiſſimus.* 6 *Celebrate, ut qui Bacchanalia, id eſt, feſta Bacchi celebrant.* 7 *Texta toga, vel textura togæ.* 8 *Moribus & vitæ ſanctiſſimum.*

CAP. CLXV.

In autores ſcelera redierunt ſua.

FAllite fallentes; ex magnâ parte profanum
Sunt genus; in laqueos, quos poſuere, cadant.
Dicitur Ægyptus carniſſe juvantibus arva
Imbribus, atque annos ſicca fuiſſe novem;
Cùm 1 Thraſius 2 Buſirin adit, monſtratque 3 piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Jovem,
Illi Buſiris; fies Jovis hoſtia primus,
Inquit; & Ægypto tu dabis, hoſpes, aquam.
Et 4 Phalaris tauro violenti membra 5 Perilli
Torruit: infelix imbuit autor opus.
Juſtus uterque fuit: neque enim lex æquior ulla,
Quàm necis artifices arte perire ſuâ.
Sic & perjuros merito perjuria fallant;
Exemplo doleat fraus mala læſa ſuo.
Quid [b] fodis immeritis, 6 Phineu, ſua lumina natis?
Pœna reverſura eſt in caput iſta tuum.

Quàm [c] bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis auctoribus inſtet;
Sic multos fluvio 7 vates arente per annos,
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inventas primus Buſiridis imbuit aras;
Et cecidit ſævi, quod dixerat, hoſtia ſacri.
Sic 5 opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta novo fabricaverat 8 æra dolori;

Primu

Primus 9 inexpertum, Siculo cogente tyranno;
Senſit opus; docuitque ſuum mugire juvencum.
Finem [d] animæ 10, quæ res humanas 11 miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabant, nec tela; ſed ille
Cannarum 12 vindex, & tanti ſanguinis ultor
Annulus 13. ——

Quod [e] quiſque fecit, patitur; autorem ſcelus
Repetit; ſuoque premitur exemplo nocens:
Quid ſtabula memorem dira Biſtonii gregis,
Suiſque regem pabulum armentis datum?
Sæpe [f] in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 647. b Id. *v.* 339. c Claud. *in* Eutrop. *L.* 1. *v.* 157. d Juv. *Sat.* 10. *v.* 163. e Sen. Herc. Fur. *v.* 735, & *v.* 226. f Sen. Thyeſ. *v.* 312.

Notæ.] 1 *Advena quidam.* 2 *Ægypti regem Neptuni & Libyes filium.* 3 *Placari.* 4 *Crudeliſſimus Agrigentorum in Siciliâ Tyrannus.* 5 *Qui æreum taurum invenit.* 6 *Qui rex Thraciæ fuit; vel, (ut alii volunt) Paphlagoniæ, qui quòd novercæ ſuaſu filios ſuos excæcaverit, ipſe paritèr à Diis excæcatus fuerit.* 7 *Thraſius ille de quo ſuprà.* 8 *Taurum ex ære.* 9 *Intentatum.* 10 *Vitæ Hannibalis Pœnorum Ducis.* 11 *Bellis perturbavit.* 12 *Tot Romanorum ab Hannibale Cannis cæſorum; ut aliquot menſuras annulorum, ab equitum occiſorum digitis detractorum in ſignum victoriæ Carthaginem miſerit.* 13 *Exigua veneni portio ſub annuli paleâ gußata; ut, cùm libuerit, eâ hauſtâ mortem ſibi inferret.*

CAP. CLXVI.

Luxus in veſtibus tum viris tum fœminis evitandus.

[a]MAtrona incedit cenſus induta 1 nepotum;
Et ſpolia opprobrii 2 noſtra per ora trahit.
Auferimur [b] cultu; gemmis auroque teguntur
Omnia pars nimia eſt ipſa puella ſui.
Quid [c] juvat ornato procedere, ſtulta, capillo?
Et tenues 4 Coâ veſte movere ſinus?
Aut quid 5 Oronteâ crines perfundere myrrhâ?
Teque peregrinis vendere 6 muneribus?
Sint [d] procul à nobis juvenes, ut fœmina, compti.
Fine coli modico forma virilis amat.
Sed [e] vitate viros cultum formamque profeſſos;
Quique ſuas ponunt in 7 ſtatione comas.
Quid [f] de veſte loquor? non jam 8 ſegmenta requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.
Cùm tot prodierint pretio leviore colores;
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?
Pectere [g] te nolim, ſed nec turbare capillos:
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.
Nec tibi 9 mitrarum, nec ſit tibi barba 10 reorum:
Nolo virum 11 nimium, 12 Pontice, nolo 13 parum.
Forma [h] viros neglecta decet; 14 Minoïda 15 Theſeus
Abſtulit; à nullâ 16 tempora comtus acu.
[amavit:
Hippolytum 17 Phædra 18, nec erat bene comptus,
Cura 19 Deæ 20 ſylvis aptus 21 Adonis erat.

Luxuriam

Luxuriam [i] nimio cultu vitare memento;
Quæ, si non lædit, tamen hanc sufferre moleſtum eſt.

Autborum Loca.] a Prop. *L.* 3. *El.* 13. *v.* 11. b Ov. Rem. Amor. *v.* 345. c Prop. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 1. d Ov. *Ep.* Phæd. *ad* Hippol. *v.* 75. e Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 433. f Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 169. g Mart. *L.* 2. *Ep.* 36. h Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 511. i Cato. *L.* 2. *Diſt.* 13.

Notæ.] 1 *Hominum perditorum.* 2 *In conſpectu noſtro qui amamus.* 3 *Capimur.* 4 *Bombycina. Nam eos inſula Ægei Maris, in quâ hæ veſtes erant inventæ.* 5 *Syrio Malabathro, nam Orontes eſt Syriæ fluvius.* 6 *Marcibus.* 7 *In lege & ordine.* 8 *Peniculamenta, faſciolas extremis veſtium oris aſſutas.* 9 *Feminarum quæ mitras gerebant.* 10 *Incultæ & horridæ.* 11 *Hirtum & horridum.* 12 *Nomen viri cui hoc inſcripſit Poëta.* 13 *Mollem.* 14 *Ariadnen filiam Minois Cretæ regis.* 15 *Athenienſium princeps.* 16 *Capitis.* 17 *Theſei filium.* 18 *Novercæ ejus, Theſei uxor.* 19 *Deliciæ.* 20 *Veneris.* 21 *Formoſus puer. filius Cynaræ Cypriorum regis, Veneris amaſius, ab apro cæſus.*

CAP. CLXVII.

Ingenii aciem contundit continuus dolor.

[a] COntudit ingenium patientia longa laborum;
Et pars antiqui magna vigoris abeſt.
Scilicet [b] ut limus venas 1 excæcat in undis,
Læſaque ſuppreſſo fonte 2 reſiſtit aqua:
Pectora ſic mea ſunt limo vitiata malorum:
Et carmen venâ 3 pauperiore fluit.
In 4 Geticâ ſiquis terrâ poſuiſſet 5 Homerum;
Eſſet, crede mihi, factus & ille 6 Getes.
Non [c] mihi reſpondent veteres in carmina vires;
Plectra dolore tacent; muta dolore lyra eſt.

Mens curis hebet aſſiduis. [d] Dolor artibus obſtat:
Ingeniumque meis ſubſtitit omne malis.
Ipſe [e] ego nam miror, tantis animique mariſque
Fluctibus, ingenium non cecidiſſe meum.
Triſtia [f] Naſonis 7 ſiquis legat, æſtimet antè,
Compoſita in quo ſint tempore, quoque loco.
Æquus erit ſcriptis, quorum cognoverit eſſe
Exilium tempus, 8 barbariemque locum:
Inque tot adverſis carmen mirabitur ullum
Ducere me triſti ſuſtinuiſſe manu.
Si [g] quid & in nobis vivi fuit antè vigoris,
Extinctum longis excidit omne malis.
Scilicet [h] ingenium longi minuêre dolores.
Omnis [i] & ambiguis ars ſtupet ipſa malis.
Obtundunt [k] ſiquidem curarum pondera ſenſus;
Intermiſſa 9 minus ſarcina pondus habet.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 12. *v.* 31. b Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 2. *v.* 17, *& infra.* c Ov. *Ep.* Sapph. *ad* Pha. *v.* 197. d Id. *v.* 195. e Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 11. *v.* 9. f Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 14. *v.* 27. g Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 31. h Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 11. i Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 32. k Corn. Gall. *El.* 5. *v.* 69.

Notæ.] 1 *Meatus aquarum claudit.* 2 *Siſtitur.* 3 *Tenuiore ſtylo.* 4 *Terra Getarum barbari Scythiæ Europeæ populi.* 5 *Facile Poëtarum optimum.* 6 *Stupidus & barbarus perinde ac Getes.* 7 *Libros Ovidii de Triſtibus; ut vulgò, ſed perperam inſcribuntur.* 8 *Sedem inter barbaras gentes.* 9 *Subinde depoſita.*

CAP.

CAP. CLXVIII.

Juvat intentata voluptas.

NOS nova, non [a] uſu plebeio trita voluptas,
Et quæ non populo gaudia nota juvant.
Eſt [b] quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum:
Libatum florem ſedula ſpernit apis.
Non [c] minimum refert intacta 1 roſaria primus,
An ſerâ carpas penè relicta manu.
Quid mirum, lectis exhauſto floribus horto,
Si duce non facta eſt digna 2 corona ſuo.
Sic [d], quanquam ſapor eſt oblatâ dulcis in undâ,
Gratior ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Et magis 3 adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cœlatâ ſumere lance, juvat.
Multum [e], crede mihi, refert, à fonte bibatur
Qui fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.
Eſt [f] aliquid 4 plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue roſam.
Ut [g] roſa delectat, metitur quæ pollice primo;
Sic nova, non 5 mento ſordida, charta juvat.
Si [h] quis forte dabit, quos præguſtaverit ipſe,
Rejice libatos illius ore cibos.
Nam libet intactis haurire è fontibus undam;
Et luſtrare ſacrum, quà via nulla, nemus.

Avia [k] Pieridum 6 peragro loca, nullius antè
Trita ſolo; juvat 7 integros accedere fontes,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,

Inſignemq; meo capiti petere inde coronam;
Unde priùs nulli velârint 8 tempora Muſæ.

Authorum Loca.] a Petron. *de Bel. Civ. v.* 7. b Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 51. c Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 61. d Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 5. *v.* 17. e Mart. *L.* 9. *Ep.* 101. f Ov. *Ep.* Phæd. *ad* Hippol. *v.* 29. g Mart. *L.* 10. *Ep.* 93. h Ov. Amor. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 33. i Sannazar. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 9. k Lucret. *L.* 4. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Roſas in roſario crecentes.* 2 *Carmen compoſitum tanti ducis geſtis rebus dignum. Allegor.* 3 *Adſe tracto.* 4 *Aliquid voluptatis.* 5 *Quæ trita duro non inborruit mento. Mart. L.* 1. *Ep.* 67. 6 *Muſarum.* 7 *Intactos.* 8 *Capitis tempora.*

CAP. CLXIX.

Tempus edax rerum.

[a] TAbida conſumit ferrum lapideſque vetuſtas;
Nullaq; res majus tempore robur habet.
Longa [b] dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli ſaxa peredit aquâ.
Deficiunt [c] validi longævo tempore tauri:
Et quondam pulcher, qui modò turpis, equus.
Fracta diu rabidi compeſcitur ira leonis:
Lentaque per ſenium 1 Caſpia tigris eat.
Ipſa etiam veniens conſumit ſaxa vetuſtas,
Et nullum eſt quod non tempore cedat opus.

Tempus [d] edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis; vitiataque 2 dentibus ævi
Paulatim longâ conſumitis omnia morte.
Clara [e] fuit 3 Sparte, magnæ viguere 4 Mycenæ;
Nec non 5 Cecropiæ, nec non 6 Amphionis arces;

Vile

Vile ſolum Sparta eſt, magnæ cecidere Mycenæ;
Oedipodioniæ 7 quid ſunt niſi fabula Thebæ?
Quid 8 Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ?
Tantum [f] ævi longinqua valet mutare vetuſtas!

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 49. b Tib. *L.* 1. *El.* 4. *v.* 13. c Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 269. d Ov. Metam. *L.* 15. *v.* 234. e Id. *v.* 426. f Virg. Æn. *L.* 3. *v.* 415.

Notæ.] 1 *E Caſpianâ Armeniæ majoris regione.* 2 *Anni ſunt dentes ævi, quibus rodunt omnia.* 3 *Peloponneſi urbs clariſſima.* 4 *Alia Peloponneſi civitas Agamemnonis regia.* 5 *Athenæ à Cecrope conditæ.* 6 *Qui Thebarum mœnia lyræ ſono condidiſſe fertur.* 7 *Ab Oedipo rege ita dictæ.* 8 *A rege Pandione ita dictæ.*

CAP. CLXX.

Nil idem diu placet.

[a]USus equis nunc eſt, levibus nunc luditur armis;
Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.
Nunc, ubi perfuſa eſt oleo labente juventus,
Deteſſos artus 1 virgine tingit aqua.
Nos, [b] modò venando, modò rus geniale colendo,
Ponimus in variâ tempora longa morâ.
Aut fora nos retinent; aut unctæ 2 dona palæſtræ;
Flectimus aut fræno colla fugacis equi.
Nunc volucrem laqueo, nunc piſcem ducimus hamo:
Diluitur poſito ſerior hora mero.

Romæ [c] Tibur 3 amo 4 ventoſus, Tibure Romam,
Sub [d] nutrice, puella velut ſi luderet infans,
Quod cupidè petiit, maturè 5 plena reliquit;
Quid placet aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Dives [e], cui nitidâ lectus Genialis in aulâ eſt,

Nil

Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vitâ:
Si non eſt, jurat bene ſolis eſſe maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quod petiit ſpernit, repetit quod nuper omiſit:
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Authorum loca.] a Ov. Triſt. L. 3. *El.* 12. *v.* 19. b Ov. *Ep.* Hero. *ad* Lean. *v.* 9. c Hor. *L.* 1. *Ep.* 8. *v.* 12. d Hor. *L.* 2. *Ep.* 1. *v.* 99. e Hor. *L.* 1. *Ep.* 1 *v.* 87, & *v.* 98.

Notæ.] 1 *Puræ aquæ in campo Martio.* 2 *Certamina palæſtrâ in quâ urgebantur ceromate.* 3 *Oppidum prope Romam.* 4 *Incuſſant ut ventus.* 5 *Satiata.*

CAP. CLXXI.

Ipſos alacres adhortamur.

[monendo

QUI monet ut facias, quod jam facis, ille
Laudat & hortatu comprobat acta ſuo.
Nec te credideris, quia non facis iſta, moneri;
Vela 1 damus, quamvis remige navis eat.
Tu [b] licèt hæc præſtes, remo tamen utar & aurâ:
Nil nocet 2 admiſſo ſubdere calcar equo.
Acer, [c] & ad 3 palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.
Fortibus [d] aſſuevit tubicen prodeſſe, ſuoque,
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nec [e] dubitans oro: ſed flumine ſæpe ſecundo
Augetur remis curſus euntis aquæ.
Sponte quidem, per ſeque, 4 mea eſt laudabilis uxor;
Admonitu melior fit tamen illa meo.

Nec

Nec [f] mihi ſuccenſe, toties ſi carmine noſtro
Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.
Ergo quod fueras 5 ſtimulis factura ſine ullis,
Pleniùs, 6 auctorem me quoque nacta, facis.

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L. ult. El. ult. v. penult. & ſupra.* b Ov. Pon. *L. 2. El. 6. v. 45.* c Ov. Pon. *L. 2. El. 11. v. 21.* d Ov. Pon. *L. 3. El. 1. v. 91.* e Ov. Pon. *L. 4. El. 15. v. 27.* f Ov. Pon. *L. 3. El. 1. v. 89.* Notæ.] 1 *Admonitiones adhibemus, quamvis ex tete officio tuo fungaris.* 2 *Jam currenti.* 3 *Victoriæ, cujus ſignum corona ex palma.* 4 *Ovidii verba excuſantis ſe ad uxorem, quòd eam ſatis pronam ad officium ſuum præſtandum ipſe hortaretur.* 5 *Adhortationibus.* 6 *Admonitorem.*

CAP. CLXXII.

Multi ſuis periere votis.

QUI nimiùm ſapiunt, atq; inconceſſa ſequuntur,
Deſipiunt; cohibet qui ſua vota, ſapit.
Vitaret [b] cœlum Phaëton, ſi viveret; & quos
Optârat ſtultè, tangere nollet equos.
Ah [c] nimium eſt quod, amice, petis: moderatiùs opta:
Et voti, quæſo, contrahe vela tui.

Prô [d] ſuperi! quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! [e] Quid enim rectâ ratione timemus
Aut cupimus? quid tam 1 dextro pede concipis, ut te
Conatûs non pœniteat, votique peracti?
Evertêre domos totas, optantibus ipſis,
Dî faciles: nocitura 2 togâ, nocitura petuntur.
Militia 2. ——Sic [f] rex ad prima tumebat
Mæonius; 3 pulchro cùm 4 verteret omnia tactu:
Sed poſtquam riguiſſe dapes, fulvamque revinctos

In

In 5 glaciem vidit latices; tum munus acerbum
Senſit; & inviſo votum damnabat in auro:
Magnaque [g] numinibus vota exaudita malignis.
Læta [h] malo, nimiumq; petens, perituraq; 6 amantis
Obſequio 7 Semele: at corpus mortale tumultus
Non tulit æthereos, 8 doniſque jugalibus arſit.
Ergo [f] cave, dum reſque finit, tua corrige vota.

Authorum Loca.] a Verſ. citati *in* Æſop. Fab. b Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 79. c Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 9. *v.* 71. d Ov. Metam. *L.* 6. *v.* 472. e Juv. *Sat.* 10. *v.* 4. f Claud. *in* Ruf. *L.* 1. *v.* 165. g Juv. *Sat.* 10. *v.* 111. h Ov. Metam. *L.* 3. *v.* 292, & 308. i Ov. Metam. *L.* 2. *v.* 89.

Notæ.] 1 *Proſpero conatu: nam dextra cùm erant numina favebant, læva contrà.* 2 *Pace & bello.* 3 *Midæ Mæoniæ rex.* 4 *In aurum mutaret.* 5 *Liquores in ſolidum aurum concretos.* 6 *Jovis.* 7 *Quæ à Jove petiit, ut ſe eodem modo quo Junonem amplecteretur, & fulmine periit.* 8 *Fulmine.*

CAP. CLXXIII.

Non victima, ſed mens grata Deo.

[eſt:

[a] HIC qui quàm potuit dat maxima gratus abunde
Et finem pietas contigit illa ſuum.
Nec quæ de parvâ pauper dîs 1 libat 2 acerrâ
Thura minùs, grandi quàm data lance, valent.
Agnaque tam lactens, quàm gramine paſta 3 Faliſco
Victima, 4 Tarpeïos 5 inficit icta focos.
Scilicet [b] ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.
Ut [c] deſint vires; tamen eſt laudanda voluntas:
Hâc ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut pauper veniat quoq; gratus ad aras;
Et placeat cæſo non minùs agna bove.

Thuraq;

Thuraq; [d] mente magis, plenâ quàm lance probantur,
Munere [e] cenſendum nil niſi dantis amor.

Parvaque [f] cœleſtes pacavit 6 mica, nec illis
Semper 7 inaurato tauris cadit hoſtia cornu.
Dicite [g], Pontifices, in 8 ſancto quid facit aurum?
Quin damus id ſuperis de magnâ quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ 9 lippa propago;
Compoſitum 10 jus faſq; animo, ſanctoſq; 11 receſſus
Mentis, & 12 incoctum generoſo pectus honeſto;
Hæc cedo ut admoveam templis: & 13 farre 14 litabo:

——Te [h] nihil 15 attinet
Tentare 16 multâ cæde bidentium
Parvos 17 coronantem marino
Rore 17 Deos fragilique myrto.
Immunis 18 aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſâ blandior hoſtiâ
Mollibit adverſos Penates
Farre 19 pio & ſaliente micâ.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 37. b Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 75. c Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 79. d Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 9. *v.* 33. e Ov. Am. *L.* 2. *El.* 15. *v.* 2. f Tib. *ad* Meſ. *L.* 4. *v.* 14. g Perſ. *Sat.* 2. *v.* 69, & 71. h Hor. *L.* 3. *Od.* 23. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Offert Deo.* 2 *Vaſe in quo thus adolebant.* 3 *In Faliſcis agris eſt fluvius, cujus aqua potata boves facit candidos.* 4 *Capitolinos, nam in Tarpeio monte Romæ, Capitolium Jovis templum conditum.* 5 *Cruore tingit.* 6 *Tenue thuris vel ſalis granum.* 7 *Victimarum cornua ſolebant inaurari.* 8 *Templo.* 9 *Improba cujuſvis nobilis Romani proles.* 10 *Animum compoſitæ juſtitiæ.* 11 *Mentis intima.* 12 *Non leviter tinctum, ſed plenè imbutum. Metaph.* 13 *Tenui ſacrificio.* 14 *Ritè ſacrificabis.* 15 *Tuum non eſt.* 16 *Solicitare.* 17 *Lares.* 18 *Innocens, vel ſine munere.* 19 *Molâ ſaltâ conſtante ex aquâ, farre & ſale.*

CAP.

CAP. CLXXIV.

Varietas grata eſt.

[a] AUgebit meritum dulcis mixtura bonorum;
Et ſemper varium plùs micat artis opus.
Nam, quæcumque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alterno potiùs vincta decore placent.
Non [b] uno contenta valet natura 1 tenore;
Sed permutatas gaudet habere vices.
Nolo [c] ego ſemper idem capiti ſuffundere 2 coſtum;
Nec noto ſtomachum conciliare cibo.
Taurus amat gramen mutatâ carpere valle;
Et fera mutatis ſuſtinet ora cibis.
Ipſa dies ideo nos grato perluit hauſtu,
Quòd permutatis hora recurrit equis.
Volvitur [d] Ixion 3, & ſe ſequiturque fugitque:
Par pœna eſt unâ vita voluta rotâ.

Plerumque [e] gratæ divitibus 4 vices;
Mundæque parvo ſub 5 lare pauperum
Cœnæ, ſine 6 aulæis, & oſtro,
Solicitam 7 explicuere frontem.

Ipſa [f] vices 4 natura ſubit, variataque curſus
Ordinat; inverſis & frondibus explicat annum.
Non ſemper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrificis obcæcat ſidera nimbis.
Ceſſat hyems, madidos & 8 ſiccat vere capillos:

Ver

Ver fugit æſtates, æſtatum terga 9 laceſſit
Pomifer autumnus; nebulis 10 ceſſurus & undis.

Authorum Loca.] a Corn. Gall. *El.* 1. *v.* 29. b Fragmentis Petron. Arb. c Fragmentis Petron. Arb. d Ov. Met. *L.* 4. *v.* 461. e Hor. *L.* 3. *Od.* 29. *v.* 13. f Lucan. *in* Paneg. *in* Piſon. *v.* 131.

Notæ.] 1 *Eodem ſtatu.* 2 *Nardi ſpeciem, unguentum.* 3 *Qui apud Inferos indeſinenter rotâ circumvolvitur.* 4 *Viciſſitudines.* 5 *In exiguâ casâ. Metonym.* 6 *Tapetis.* 7 *Frontem curis in rugas contractam exporrexerunt.* 8 *Cùm pluere deſierit.* 9 *A tergo ſequitur.* 10 *Qui ipſe Autumnus mox hyemis procellis cedat.*

CAP. CLXXV.

Ictus piſcator ſapit.

IGnavum cautum fecere pericula crebra:
Ipſe viros ſtultus, qui nocuere, timet.
Terretur [a] minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.
Nec procul à ſtabulis audet ſecedere, ſiqua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Quicunque Argolicâ de claſſe 1 Capharea fugit,
Semper ab 2 Euboïcis vela retorquet aquis.
Sæpe [b] canem longè viſum fugit agna, lupumque
Credit, & ipſa ſuam neſcia vitat opem.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus unca cibis 3 æra ſubeſſe putat.
Et [c] mea cymba ſemel vaſtâ percuſſa procellâ,
Illum, quo læſa eſt, horret adire locum:
Membra [d] reformidant mollem quoq; ſaucia tactum:
Vanaque ſolicitis incutit umbra metum.
Da veniam læſo, nimioque ignoſce timori;
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Haud

Haud [e] repetit victus gladiator cautus 4 arenam:
Nec redit in tumidas naufraga puppis aquas.

Authoris Loca.] a Ov. Trift. *L.* 1. *v.* 75, & 83. b Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 11, & *ſupra.* c Ov. Trift. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 85, & *ſupra.* d Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 7. *v.* 13, & *v.* 7. e Ov. Trift. *L.* 2. *v.* 17.

Notæ.] 1 *Rubæa promontorium, ex quo Nauplius faces oſtentavit Græcis à Trojâ redeuntibus, ut portus fidem faceret unde illi inter ſcopulos naufragium fecere.* 2 *Maris inſulæ Rubææ.* 3 *Humum ex arte Metonym.* 4 *Aream Amphitheatri arena ſparſam ne laberentur cruore gladiatores.*

CAP. CLXXVI.

Artes quondam honore nunc contemptu habitæ.

[a] INgenium fuerat quondam pretioſius auro;
At nunc barbaries grandis habere nihil.
Cura [b] Deûm fuerant olim Regumque poëtæ:
Præmiaque antiqui magna tulere 1 chori.
Sanctaque majeſtas, & erat venerabile nomen
Vatibus: & largè ſæpe dabantur opes.
Ennius 2 emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, 3 Scipio magne, tibi. [doctis
Nunc 4 hederæ ſine honore jacent: 5 operataque
Cura vigil muſis, nomen inertis habet.
Ipſe [c] licèt venias Muſis comitatus, 6 Homere:
Si nihil attuleris; ibis, Homere, foras.
Carmina laudantur, ſed dantur munera nulla;
Hei mihi non multum carmen honoris habet!
Cùm [d] bene laudetur, laudato janua clauſa eſt:
Turpiter huc illuc ingenioſus eat.
Heu [e] malè nunc miſeras artes hæc ſæcula tractant;
Artibus [f] ingenuis nullus in orbe locus.

Didicit

——— [g] Didicit jam dives avarus
Tantùm admirari, tantum laudare poëtas,
Ut pueri 7 Junonis avem.———

Authorum Loca] a Ov. Am. L. 3. *El.* 8. *v.* 3. b Ov. Ar. Am. L. 3. *v.* 405. c Ov. Ar. Am. L. 2. *v.* 279, *& suprà.* d Ov. Am. L. 3. *El.* 7. *v.* 7. e Verſus ſatis notus. f Juv. locus *Sat.* 3. *v.* 21. parcè detortus. g Juv. *Sat.* 7. *v.* 30.

Notæ.] 1 *Multitudo canentium; hic ponitur pro poëtis.* 2 *Latinorum poëtarum primus, Rudiis Calabriæ oppido oriundus.* 3 *Romanorum Dux, Hannibalis & Africæ victor; unde dictus Africanus.* 4 *Poëtæ, quibus doctarum hederæ præmia frontium.* 5 *Addicta.* 6 *Græcorum poëtarum optimus.* 7 *Pavonem, cujus pictam caudam pueri mirantur; adeò autem nihil ipſi dant, ut plumas & quantum poſſunt detrahant.*

CAP. CLXXVII.

Ne quid ſupra vires.

REM tentâſſe pudet; quam vires ferre recuſant.
[a] Quâ pote quiſque in eâ conterat arte diem.
Turpe [b] eſt, quod nequeas, capiti committere pondus
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.
Ipſe [c] Milo 1 robur diducere fiſſile tentans,
Non potuit captas 2 inde referre manus.
Quid [d] me ſcribendi tam vaſtum mittis in 3 æquor?
Non ſunt apta meæ grandia 4 vela 4 rati.
Non [e] ideo debet pelago ſe credere, ſiqua
Audet in exiguo ludere cymba lacu:
Vitaret [f] cœlum Phaëton ſi viveret; & quos
Tentârat ſtultè, tangere nollet equos.
Vaſto [g] rana 5 bovi exiguo dum corpore certat,
Filius huic ſapiens deſine, mater ait:
Dirumpêre 6 priùs: 7 te noſce, 8 negata relinque;
Namque tumor crepitum mox feret iſte tibi.

Fabula

Fabula quò ſpectat? ſi quis nimis arduis tentat,
Hæc æquabit, uti parvula rana bovem.
Ne quid vim ſupra; [h] non omnia poſſumus omnes.
Qui [i] ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Quod [k] potes id tentes; operis nè pondere preſſus
Succumbat labor; & fruſtra tentata relinquas.
Quod [l] potes, id tenta; nam littus carpere remis
Tutius eſt multò; quam velum tendere in altum.
Quò [m], moriture, ruis? majoraque viribus audes?
Failit te incautum tua vis. ———
Quò [n] ruis, ô vecors? majoraque bella capeſſis,
Mortali quàm ferre datur? ———
Magna 9 petis °, Phaëthon; & quæ nec viribus iſtis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non eſt mortale quod optas.

Authorum Loca.] a Prop. *L.* 2. *El.* 1. *v.* 46. b Prop. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 5. c Ov. in Ibin. *v.* 609. d Prop. *L.* 3. *El.* 7. *v.* 3. e Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 329. f Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 79. g E *Præf. Demoſthenis editi per Wolfium.* h Virg. Eclog. 8. *v.* 64. i Mart. *L.* 12. *Ep.* 100. k Cato. *L.* 3. *Diſt.* 13. l Cato. *L.* 4. *Diſt.* 33. m Virg. Æn. *L.* 10. *v.* 811. n Sil. It. *L.* 12. *v.* 703. o Ov. Met. *L.* 2. *v.* 54.

Notæ.] 1 *Milo Crotoniates viribus inſignis de quo Juv. Sat.* 10. Viribus ille Confiſus periit, admirandiſque lacertis. 2 *E quercu.* 3 *Argumentum nimis arduum.* 4 *Argumenta grandia non ſunt idonea tenui ingenio. Allegor.* 5 *Vide Æſopi fabulas.* 6 *Antequam tumendo bovem æquabis.* 7 *Naturam tuam.* 8 *Naturæ tuæ inconceſſæ.* 9 *Nempe veniam currum Solis in diem regendi.*

CAP.

CAP. CLXXVIII.

—— Vacuæ carmina mentis opus.

[mina lætum

[a] CArminibus 1 metus omnis abeſt; [b] quia car-
Sunt opus, & 2 pacem mentis habere volunt.
Scilicet [c] aſſiduo confectum cura dolore
Sevocat à doctis, 3 Ortale, 4 virginibus.
Nec potis eſt dulces Muſarum expromere 5 foetus
Mens animi, tantis fluctuat ipſa malis.
Carmina [d] proveniunt animo diducta ſereno,
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt;
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Da mihi 6 Mæoniden, & 7 tot circumſpice caſus;
Ingenium tantis excidet omne malis.
Ipſe [e] ſenex 8 dictus ſapiens ab 9 Apolline, nullum
Scribere tot curis ſuſtinuiſſet opus.
Me timor officio fungi vetat ipſe quieto,
Cinctus ab innumero me tenet hoſte locus.

[urbes,

Scriptorum [f] chorus omnis amat 10 nemus, & fugit
Ritè 11 cliens Bacchi, ſomno gaudentis & umbrâ.
Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere? an tu me Romana poëmata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas totque labores?
——— An hic ego rerum
Fluctibus 12 in mediis, & tempeſtatibus urbis,

Verba

Verba 13 lyræ motura ſonum connectere digner?
Non puræ plateæ; nihil ut meditantibus obſtet;
Hâc rabioſa fugit canis, hâc lutulenta ruit ſus:
I nunc, & verſus tecum meditare canoros.

Muſis [g] amicus 14, triſtitiam, & metus,
Tradam protervis in mare 15 Creticum
Portare ventis; quis ſub 16 Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ;
Quid 17 Tiridatem terreat, 18 unicè
Securus. ———

Authorum Loca.] a Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 43. b Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 11. *v.* 3. c Catul. Carm. 66. *L.* 1. d Ov. Triſt. *L.* 1. *El.* 1. *v.* 41, & 47. e Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 13. *v.* 15, & 19. f Hor. *L.* 2. *Ep.* 2. *v.* 77. *& paſſim infra & ſupra.* g Hor. *L.* 1. *Od.* 26. *v.* 1.

Notæ.] 1 *Poëtis carminum autoribus. Metonym.* 2 *Otium. Metaph.* 3 *Nomen viri cui hæc ſcripſit Catullus.* 4 *Muſis.* 5 *Poëmata.* 6 *Homerum Poëtarum optimum.* 7 *Quot me premunt: verba Ovidii de ſuis miſeriis.* 8 *Socrates Philoſophorum ſapientiſſimus.* 9 *Apollinis oraculo.* 10 *Solitudinis ſeceſſum.* 11 *Qui Bacchum vini Deum patronum habet: nam ut ait Prop.* Bacche, ſoles Phœbeo fertilis eſſe tuo. 12 *Tumultibus. Metaph.* 13 *Carmine Lyrico.* 14 *Ego Horatius Muſis gratus.* 15 *In quemvis locum remotiſſimum. Synecd.* 16 *In regione ſeptentrionali.* 17 *Parthiæ regem.* 18 *Præcipuè.*

CAP.

CAP. CLXXIX.

Læti facilè corrumpuntur & ignavi.

NON adit afflictos Veneris damnosa voluptas,
Nec solet in mœstos 1 illa venire toros.
Mens [b] erit apta capi tunc, cum lætissima rerum,
Ut seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore,
Ipsa patent; blanda tum subit arte Venus.
Tunc cùm tristis erat defensa est 2 Ilios armis,
Militibus 3 gravidum læta recepit 4 equum.
Luxuriant [c] animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æquâ commoda mente pati.
Languor [d], & immodici sub nullo 5 vindice somni,
Aleaque, & multo 6 tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animis sine vulnere 7 nervos:
Adfluit incautis insidiosus amor.
Quæritis 8 Ægysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est; desidiosus erat.
Heu [e] sumus incauti, luxuque aperimur inerti,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.

Quisquis [f] secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens;
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent suetæ dapes,

Non tecta 9 sani moris, aut vilis cibus.
Cur in 10 penates rariùs tenues subit
Hæc delicatas eligens 11 pestis domos?

Cur ſancta parvis habitat in tectis 11 Venus?
Mediumque ſanos vulgus affectus tenet?

Authorum Loca] a Ov. Pon. *L.* 1. *El.* 10. *v.* 33. b Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 361. c Ov. Ar. Am. *L.* 2. *v.* 437. d Ov. Rem. Am. *v.* 145, & 161. e Ov. Ar. Am. *L.* 3. *v.* 371. f Sen. Hippol. *v.* 203.

Notæ.] 1 *Venus ſeu voluptas.* 2 *Troja.* 3 *Plenum militibus Sinonis dolo incluſis ad Trojæ portas aperiendas. Vide Virg. L.* 2. *v.* 162. 4 *Ligneum.* 5 *Qui cogat ſomnolentum ſurgere.* 6 *Capitis.* 7 *Viros.* 8 *Thyeſtis filius, qui Clytemneſtram Agamemnonis uxorem corrupit.* 9 *Sobrii.* 10 *Domos.* 11 *Voluptas.*

CAP. CLXXX.

Minuit patientia curas.

FErt bonus, ut debet, caſus, patienter amaros,
Fræna nec indomiti more recuſat equi.
Acriùs [b] invitos multoque ferociùs urget,
Quàm qui triſtitiam fert bene, cura gravis.
Cedimus? an ſubitum luctando accendimus ignem?
Cedamus: leve fit, quod bene fertur onus.
Vidi ego jactatas, motâ face, creſcere flammas;
Et vidi, nullo concutiente, mori.
Verbera plura ferunt, quàm quos 1 juvat uſus aratri,
Detrectant preſſi dum juga 2 prima boves.
Aſper equus duris 3 contunditur ora lupatis:
Fræna minus ſenſit, quiſquis ad 4 arma facit.
Quod [c] potes, extenua forti mala corde ferendo;
Ad quæ jampridem non 5 rude pectus habes.

Fit levius patiendo jugum; [d] ſic dicimus omnes
Illos quoque felices; qui ferre incommoda vitæ,

Nec

Nec 6 jactare jugum, 7 vitâ didicêre magiſtrâ.
Crede mihi, [c] quò fata trahunt retrahuntq; ſequamur,
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Sic [f] pia 8 Baucis anus, parilique ætate 9 Philemon
Conſenuere casâ; paupertatemque ferendo
Effecere levem, nec iniquâ mente ferendam.

Ducunt [g] volentem fata, nolentem trahunt.

Durum [h]; ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Fatis [i] agimur, cedite fatis;
Non ſolicitæ poſſunt curæ
Mutare rati 10 ſtamina fuſi.

Vires [k] pepulit ponduſque mali,
Caſus animo qui tulit æquo.

Miſerias [l] lenit quies.

Authorum Loca] a Ov. Triſt. *L.* 5. *El.* 4. *v.* 15. b Ov. Am. *L.* 1. *El.* 2. *v.* 17, *& ſupra.* c Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 3. *v.* 57. d Juv. *Sat.* 13. *v.* 20. e Virg. Æn. *L.* 5. *v.* 709. f Ov. Met. *L.* 8. *v.* 631, *&* 633. g Sen. *ni fallor.* h Hor. *L.* 1. *Od.* 24. *v.* 19. i Sen. Oed. *v.* 980. k Sen. Herc. Oet. *v.* 230. l Sen. Med. *v.* 559.

Notæ.] 1 *Non lædit.* 2 *Primo cervici impoſita.* 3 *Ora habet contuſa. Græciſm.* 4 *Bello aptus eſt, idecque frænis paret.* 5 *Inexpertum.* 6 *Neceſſitatis jugo non reluctari.* 7 *Longo rerum uſu decente.* 8 *Anus.* 9 *Senex Baucidis maritus, qui Deos hoſpitio excepit.* 10 *Parcarum decreta, quæ vitæ ſtamina longiora aut breviora fuſis ſuis devolvunt.*

CAP. CLXXXI.

Magnatum conſortia fugienda.

[a] INgentes dominos, & famæ 1 nomina claræ,
Illuſtrique graves nobilitate domos
Devita; & longè cautus fuge: contrahe vela,
Et te littoribus cymba propinqua vehat.
In plano tua ſit ſemper fortuna, perſque
Noveris: ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis junguntur grandia rebus;
Stantia namque premunt, præcipitata 2 ruunt.
Mitte ſuperba pati faſtidia; ſpemque caducam
Deſpice; vive tibi, nam moriêre tibi.
Vive [b] ſine 3 invidiâ; molleſq; inglorius annos
Exige; amicitias & tibi junge pares.
Uſibus 4 edocto ſi quicquam credis amico,
Vive tibi: & longè 1 nomina magna fuge.

Dulcis [c] inexpertis 5 cultura potentis amici;
Expertus metuit,———
In [d] cujus facie miſeræ magnæque ſedebat
Pallor 6 amicitiæ.

Auctorum Loca.] a E libro cui titulus *Delectus Epigr.* pag. 222. b Ov. Triſt. *L.* 3. *El.* 4. *v.* 43, & 3. c Hor. *L.* 1. *Ep.* 18. *v.* 86. d Juv. *Sat.* 4. *v.* 74.

Notæ.] 1 *Amicos clari nominis.* 2 *Obruunt.* 3 *E potentiorum ſodalitio exorta.* 4 *Experientia.* 5 *Amicitia & obſervantia.* 6 *Magni amici metus.*

CAP.

CAP. CLXXXII.

Curæ mortalium vanæ.

[1 inane!

O Curas hominum! ô quantum eſt in rebus
Quid [b] tam ſolicitis vitam conſumimus annis,
Torquemurque metu; cæcâque cupidine rerum
Æterniſque ſenes curis; dum quærimus ævum
Perdimus; & nullo votorum fine beati,
Victuros agimus ſemper, nec vivimus unquam?
Pauperiorque bonis quiſque eſt, qui plura requirit,
Nec quod habet numerat, tantùm quod non habet,
Cumque ſui parvos uſus natura repoſcat, [optat.
Materiam ſtruimus magnæ per vota ruinæ.
Solvite [c] mortales animos, curamque levate,
Totque ſupervacuis vitam deflere querelis;
Fata regunt orbem, certâ ſtant omnia lege.
Quid [d] brevi fortes 2 jaculamur ævo
Multa?

——[e] Quid 3 æternis 4 minorem
Conſiliis animum fatigas?

Mitte [f] arcana Dei cœlumque inquirere quid ſit;
Cùm ſis mortalis, quæ ſunt mortalia cura.
Quid [g] Deus intendat, noli perquirere 5 ſorte:
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.

Autborum Loca] a Perſ. *Sat.* 1. *v.* 1. b Manilius. L. 4. *v.* 1. c Manil. *L.* 4. *v.* 12. d Hor. *L.* 2. *Od.* 16. *v.* 17. e Hor. *L.* 2. *Od.* 11. *v.* 11. f Cat. *L.* 2. *Diſt.* 2. g Id. *Diſt.* 12.

Notæ.] 1 *Quanta eſt in rebus inanis vanitas. Græciſm.* 2 *Intento animo petimus. Metaph.* 3 *Id eſt Dei divinæque providentiæ conſiliis.* 4 *Incapacem.* 5 *Sortilegiis, vaniſque artibus & curis.*

CAP. CLXXXIII.

Vita brevis benefactis extendenda est.

[a] AMpliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus; hoc eſt
Vivere bis, vitâ poſſe priore frui.
Cùm [b] gravis extremas 1 Veſtinus duceret horas,
Et jam per Stygias eſſet 2 iturus aquas;
Ultima volventes orabat penſa 3 ſorores,
Ut traherent parvâ ſtamina pulla morâ.
Tum largas 4 partitus opes, à luce receſſit:
Seque mori poſthac credidit ille ſenem.
Qui [c] ſic vel medio finitus vixit in ævo,
Longior huic facta eſt, quam data vita fuit.

Stat [d] ſua cuiq; dies; breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ; ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.———

Una [e] quem nobis dederat juventus,
Una te nobis rapiet ſenectus:
Sed potes, Publî, geminare magnâ
Sæcula famâ.
Quem fatis raptum gemuere cives,
Hic diu vixit; ſibi quiſque Famam
Scribat hæredem: rapiunt avaræ
Cætera 5 Lunæ.

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 10. *Ep.* 23. b Mart. *L.* 4. *Ep.* 73. c Mart. *L.* 8. *Ep.* 77. d Virg. Æn. *L.* 10. *v.* 467. e Caſim. Sarb. *L.* 2. *Od.* 2. *v.* 13.

Notæ.] 1. *Romanus, liberalitate inſignis.* 2 *Morituros.* 3 *Parcas, vitæ ſuæ ſtamen ſecturas.* 4 *Inter amicos circumſtantes.* 5 *Sæcula.*

CAP.

CAP. CLXXXIV.

Parva decent parvos.

DUM parva in parvis tentamus carmina rebus,
Materiæ 1 gracili ſufficit ingenium.
Obruit 2 audentem 3 rerum gravitaſque nitorque,
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Nam [b] ſi me jubeas domitos Jovis igne 4 Gigantes
Dicere; conantem debilitabit opus.
Divitis ingenii eſt immania 5 Cæſaris acta
Condere, materiâ nè ſuperetur opus.
Quid [c] tibi cum tali demens eſt 6 flumine? quis te
Carminis 7 heroi tangere juſſit opus?
Non 8 hinc ulla tibi ſperanda eſt fama, 9 Properti;
Mollia ſunt parvis prata terenda rotis.
Cur tua præſcriptos 10 evecta eſt pagina gyros?
Non eſt ingenii 11 cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris: medio maxima turba mari eſt.
Majores [d] majora ſonent: mihi parva locuto
Sufficit, in populi ſæpe redire manus.

Sumite [e] materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus; & 12 verſate diu, quid ferre recuſent;
Quid valeant 13 humeri.———
——— [f] Feſſa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt, ſucciſo poplite, membra.
Sic nec olorinos audet 14 Pandionis ales
Parva referre ſonos: nec, ſi velit, improba, poſſit.

Sic & 15 Aëdoniâ ſuperantur voce cicadæ;
Stridula cùm rapido faciunt convicia ſoli.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 5. *v.* 25, & 29. b Ov. Triſt. *L.* 2. *v.* 333. c Prop. *L.* 3. *El.* 2. *v.* 15. d Mart. *L.* 9. *Ep.* 1. e Hor. *de* Art. Poet. *v.* 38. f Panegyr. *ad* Piſon. *v.* 253. *ad fin.*

Notæ.] 1 *Argumento.* 2 *Nimis exſuperat pondere.* 3 *Tractandarum.* 4 *Carmen de Gigantibus.* 5 *Aut alicujus egregii heroïs.* 6 *Argumento torrentis inſtar fluminis copioſo.* 7 *Poëmatis Epici.* 8 *A carmine heroico.* 9 *Propertii Elegiaci de ſe verba.* 10 *Tranſgreſſa eſt.* 11 *Ingenium materiâ difficiliori non onerandum. Alleg.* 12 *Explorate cogitando.* 13 *Ingenii veſtri vires.* 14 *Luſcinia, in quam mutata erat Philomela Pandionis Athenienſium regis filia, à Tereo Thraciæ rege ſtuprum paſſa.* 15. *Cantu Philomelæ.*

CAP. CLXXXV.

Nec regitur ſtrictus, citò nec deponitur, enſis.

HEu nimium notum, quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat, motuſve quid audeat enſis.
Nam [b] quis nudatos enſes, quis tela 1 lacertis
Excutit, & ſolvi curvatos imperat arcus?
Quiſnam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata ſemel neſcit miteſcere 2 virtus.
Nam ſimul hoſtiles ſitientia pila cruores
Sponte volant, ultrixque manus mucrone ruente
Ducitur, heu 3 ſiccum gladium vagina recuſat.
Utque [c] feræ tigres nunquam poſuere furorem,
[ſequuntur,
Quas nemore 4 Hyrcano, matrum dum luſtra
Altus cæſorum pavit cruor armentorum:
Sic & 5 Syllanum ſolito tibi lambere ferrum

Durat

Durat, 6 Magne, ſitis; nullûs ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis 7 manſueſcere fauces.

———[d] Arma non ſervant modum,
Nec temperari facilè, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira, bella delectat cruor.
Jus [e] eſt in armis, [f] & regi frænis nequit
Et ira, & ardens hoſtis, & 8 victoria
Commiſſa nocti; quicquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc faciet furor;
Gladiuſque 9 felix, cujus infecti ſemel
Vecors 10 libido eſt.

Authorum Loca.] a Sil. It. *L.* 2. *v.* 21. b claud. *in* Ruf. *L.* 2. *v.* 228. c Lucan. *L.* 1. *v.* 327. d Sen. Herc. Fur. *v.* 403. e Sen. Herc. Fur. *v.* 253. f Sen. Troad. *v.* 277.

Notæ.] 1 *Pila quæ lacertis excutiebantur.* 2 *Militum ferocia.* 3 *Nullo tinctum ſanguine.* 4 *Hyrcana Scythiæ ſylva.* 5 *Civium à Syllâ proſcriptorum cædibus enutrito.* 6 *Pompei.* 7 *Miteſcere.* 8 *Licentioſa per noctem quæ pudore caret.* 9 *Victor.* 10 *Inſana & reponi neſciens.*

CAP. CLXXXVI.

Stat magno violata fides.——

[1]FOedera mortales, nè ſævo rumpite ferro,
Sed caſtam ſervate fidem, fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis; 1 dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac 2 tenues ſpes linquet amici;
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
[ſemper
Unquam expers luctûs, lacrymæque: aget æquore
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque

Deſpecta ac violata fides.———
Queis [b] verò non æqua dedit victoria nomen,
Audite, ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem. 3 Vagus exul in orbe
Errabit toto, patriis projectus ab oris,
Tergaq; 4 vertentem trepidans Carthago videbit.
———[c] Citæ 5 Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera 6 Tullus
Per ſylvam; & ſparſi rorabant ſanguine vepres.
Ergo [d] juſtitiæ cultor, quæcumque capeſſes,
Teſtes factorum ſtare arbitrabere divos.
——[e] Ambiguæ ſi quando citabere teſtis,
Incertæque rei, Phalaris licèt imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro:
Summum crede nefas animam præferre pudori;
Et propter vitam vivendi 8 perdere cauſas.

[a] *Authorum Loca.*] a Sil. It. *L.* 13. *v.* 284. b Sil. Ital. *L.* 2. *v.* 698. c Virg. Æn. *L.* 8. *v.* 642. d Sil. It. *L.* 15. *v.* 111. e Juv. *Sat.* 8. *v.* 80.

Notæ.] 1 *Periculoſo rerum ſtatu.* 2 *Amicum in adverſis.* 3 *Annibal Pœnus, fide Punicâ notus.* 4 *A Scipione Africano victum.* 5 *Albanorum regem, qui cùm in auxilium Romanorum contra Fidenates veniſſet, medius inter duos pugnæ fortunam expectavit.* 6 *Hoſtilius Romanorum Rex.* 7 *Agrigentinorum tyrannus minetur te in æneum taurum ſe conjecturum, niſi falſum pro ſe teſtimonium velis dicere.* 8 *Virtutem & integritatem deſerere, quæ ſunt vivendi cauſæ, quippe ad quam, teſte Cicerone, nati ſumus.*

CAP.

CAP. CLXXXVII.

Idem eſt militiæ ſæpe togæque decus.

[coërces;

[a] TU modò bella geris, 1 numeris modò verba
Quodque aliis opus eſt, hoc tibi luſus erit.
Utque nec ad citharam, nec ad arcum ſegnis Apollo;
Sed venit ad ſacras nervus 2 uterque manus:
Sic tibi nec docti deſunt, nec Principis artes,
Miſta ſed eſt animo cum 3 Jove 4 Muſa tuo.
Utque [b] tibi eſt animus, cùm res ita poſtulat, arma
Sumere; & hoſtili tingere cæde manum;
Atque ut es excuſſo jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere 5 doctus equi:
Tempora ſic ſtudiis data ſunt ubi juſta paternis,
Utque tuis humeris forte quievit onus;
Nè tua marceſcant per inertes otia ſomnos,
Lucida 6 Pieriâ tendis in aſtra viâ.

Lælius [c] 7 Italiæ magnum decus; omnia felix
Cui natura dedit, nullo renuente Deorum.
Ille foro auditus, cùm dulcia ſolveret ora,
Æquabat Pyliæ Neleïa 8 verba ſenectæ:
Ille ubi 9 ſuſpenſi 10 patres, & curia vocem
Poſceret, ut 11 cantu ducebat corda Senatûs?
Idem, cùm ſubitum campo perſtrinxerit aures
Murmur triſte tubæ, tanto fervore ruebat
In pugnam, atque acies, ut natum ad ſola liqueret
Bella; nihil vitæ peragi ſine laude placebat.

——— [d] Nec enim, ſi bella quiêrunt
Occidit & virtus; licet exercere togatæ
Munera 12 militiæ; licet et ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.
Inſigne [e] mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti 13 Pollio, 14 curiæ,
Cui Laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Authorum Loca.] a Ov. Pon. *L.* 4. *El.* 8. *v.* 73. b Ov. Pon. *L.* 2. *El.* 9. *v.* 55. c Sil. It. *L.* 15. *v.* 456. d Lucan. Paneg. *in* Piſon. *v.* 26. e Hor. *L.* 2. *Od.* 1. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Id eſt verſus componis.* 2 *Quo & citharæ movetur, & arcus tenditur.* 3 *Cum Imperatoris arte Politicâ.* 4 *Facultas Poëtica.* 5 *Peritus.* 6 *Poëtica cujus Deæ Muſæ vocantur Pieriæ vel Pierides à Piero monte.* 7 *Dux Romanus belli pacisque artibus præclarus, Scipioni Africano amicus.* 8 *Eloquentiam ſenis Neſtoris, Nelei filii, Pyli urbis principis.* 9 *Dubii quid agerent.* 10 *Senatores qui & dicti patres Conſcripti.* 11 *Dulci oratione.* 12 *Agendo cauſas in foro.* 13 *Qui Orator, Senator, Imperator egregius.* 14 *Senatoribus.*

CAP. CLXXXVIII.

Diſce homines, moreſque hominum; non ſomnia vatum.

[Thyeſten,

[a] QUI legis 1 Oedipodem, caligantemque 2 Colchidas 3 & 4 Scyllas; quid niſi monſtra [legis?

Quid tibi raptus 5 Hylas, quid 6 Parthenopæus, & [7 Atys?

Quid tibi dormitor proderit 8 Endymion?

Exu-

Exutuſve 9 puer pennis labentibus? aut qui
Odit 10 amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana juvant miſeræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod poſſis dicere jure, 11 meum eſt.
[Harpyïaſque
Non hîc 12 Centauros, non 12 Gorgonas, 12
Invenies; hominem pagina noſtra 13 ſapit.
Sed non vis, inſulſe, tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire; legas 14 *aëria* Callimachi.
Neſcis [b], crede mihi, quid ſint bona carmina neſcis;
Qui tantùm luſus illa, jocoſque putas.
Ille magis ludit, qui ſcribit 15 prandia ſævi
Tereos; aut cœnam, crude 16 Thyeſta, tuam.
Aut 17 puero liquidas aptantem Dædalon alas;
Paſcentem Siculas aut 18 Polyphemon oves.
At [c] tu Romano lepidos 19 ſale tinge libellos;
Agnoſcat mores vita legatque ſuos.

Crimina [d] non credam 20 Venuſinâ digna 21 lucernâ?
[racleas,
Hæc ego non 22 agitem? ſed quid magis 23 He-
Aut 23 Diomedeas, aut 24 mugitum Labyrinthi,
[volantem?
Aut mare percuſſum 17 puero, 25 fabrumque
[legunto,
Grande [e] 26 locuturi 27 nebulas 28 Helicone
[Thyeſtæ
Si quibus aut 29 Prognes, aut ſi quibus olla 30
Fervebit. [f] Sed tu 31 pallentes 32 radere mores
Doctus & ingenuo culpam defigere 33 ludo,

34 Hinc

[Mycenis

Hinc 34 trahe quæ dicas; 35 menſaſque relinque
Cum capite & pedibus, plebeiaque prandia nôris.

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 10. *Ep.* 4. b Mart. *L.* 4. *Ep.* 49. c Mart. *L.* 8. *Ep.* 3. *v.* 19. d Juv. *Sat.* 1. *v.* 51. e Perſ. *Sat.* 5. *v.* 7. f Id. *v.* 15.

Notæ.] 1 *Tragœdias de Oedipo.* 2 *Fabulam de Thyeſte quem caligantem dicit, quia filios ſibi à fratre Atreo appoſitos edentem, ſol, ne videret, refugit.* 3 *Tragœdias de Medeâ, cujus patria erat Colchis.* 4 *Hanc niſi, illam Phorci filiam.* 5 *A Naïdibus nymphis raptus, dum Herculi aquam peteret.* 6 *Juvenis bello Thebano occiſus.* 7 *Puer Cybele dilectus.* 8 *Lunæ amaſius, à quâ in monte Latmo ſopitus.* 9 *Icarus.* 10 *Salmacidas. Vide Ovid. Met. L.* 4. 11 *Ad vitam meam ſpectat.* 12 *Monſtroſas fabulas, de Centauris, Gorgone, &c.* 13 *De moribus humanis agit.* 14 *Obſcurum Callimachi carmen quod inſerifit* 1à Αἴτια. 15 *Fabulam de Tereo Thraciæ rege, cui Progne uxor filium ſuum edendum appoſuit.* 16 *Vide not. fig.* 2. 17 *Icaro.* 18 *Gigantem unum ex Cyclopibus.* 19 *Jocoſo acumine Metaph.* 20 *Satyrica Horatiana; nam Horatii civitas erat Venuſium.* 21 *Satyra, nocte ad lucernam compoſita.* 22 *Verſu perſequar.* 23 *Fabulas de Hercule & Diomede.* 24 *Fabulam de Minotauro in labyrintho mugiente.* 25 *Dædalum.* 26 *Tumidum pœma.* 27 *Inania poëtarum figmenta.* 28 *Monte Muſis ſacro.* 29 *Vide not. fig.* 15. 30 *Vide not. fig.* 2. 31. *Mores hominum Scelerum conſcientia pallidorum.* 32 *Carpere.* 33 *Joco liberali notare.* 34 *E corruptis hominum moribus.* 35 *Figmenta Poëtica de menſis ſeu prandio Thyeſtæ, caput & pedes filiorum edentis.*

CAP. CLXXXIX.

Tempus opportunum expectandum.

[a] TEmpora qui ſolis operoſa colentibus arva
Fallitur, & nautis adſpicienda putat.
Nec ſemper credenda 1 Ceres fallacibus arvis:
Nec ſemper viridi concava puppis aquæ.
Sæpe dies redeat rebus minùs apta gerendis,
Sæpe dato meliùs tempore fiet idem.
Eligito [b] tempus captatum ſæpe rogandi,
Exeat adverſâ nè tua 2 navis aquâ. Non

Non ſemper ſacras reddunt oracula ſortes:
Ipſaque non omni tempore fana patent.
Temporibus [c] certis deſectas alligat herbas;
Et tonſam raro pectine verrit humum:
Temporibus certis maturam ruſticus uvam
Deligit, & nudo ſub pede muſta fluunt.
Differ [d] opus, cùm triſtis hyems: cùm 3 Pleiades [inſtant:
Cùm tener æquoreâ mergitur 4 Hœdus aquâ.
Tunc bene deſinitur, tunc, ſi quis creditur alto,
Vix 5 tenuit laceræ naufraga membra ratis.
Et [e] freta mota vides, & debes illa timere:
Utilior velis poſtmodo ventus erit. [proſunt,
Temporis [f] ars medicina ferè eſt; data tempore
Et data non apto tempore vina nocent.

Authorum Loca] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 401. & 417, & 406. b Ov. Pon. *L.* 3. *El.* 1. *v.* 129. c Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 191. & 189. d Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 411. e Ov. Rem. Am. *L.* 1. *v.* 279. f Id. 131.

Notæ.] 1 *Semen, cujus Ceres Dea. Metonym.* 2 *Ne, ut navis non exeat ab imperitis turbato mari commiſſa; tu etiam vanas preces effundas.* *Allegor.* 3 *Septem ſtellæ quarum occaſu hyems oſtenditur.* 4 *Sidus procelloſum.* 5 *Id eſt vix tabulæ ope ſe naufragii periculo eripuit.*

CAP. CXC.

Vigilandum eſt ei qui cupit vincere.

[a] TUrpe Duci totam ſomno conſumere noctem:
Invigila [b], & parta eſt gloria militiæ.
Sæpe [c] ſoporatos invadere profuit hoſtes,
Cædere & armatâ vulgus inerme manu.
Sic fera Threïcii ceciderunt agmina 1 Rheſi,
Et dominum 2 capti deſeruiſtis equi.

Invadunt

Invadunt [d] 3 urbem 4 ſomno vinoque 5 ſepultam;
Ceduntur vigiles, ſternuntur inertia paſſim
Corpora,——
——[6] Si longa moretur
Obſidio; tum vota cave ſecura remittas,
Incluſumve 6 putes; multis damnoſa fuere
Gaudia; diſperſi pereunt, ſomnove ſoluti.
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.

Autborum Loca.] a Sil. It *L.* 3. *v.* 172. b Guil. Lilius *de* Morib. *v.* 30. c Ov. Am. *L.* 1. *El.* 9. *v.* 21. d Virg. Æn. *L.* 2. *v.* 265. e Claud. *de* 4. Conſ. Hon. *v.* 332.

Notæ.] 1 *Thraciæ regis, quem ad opem Trojæ albis equis venientem Ulyſſes nocte aggreſſus interemit.* 2 *Ab Ulyſſe.* 3 *Græci.* 4 *Trojam.* 5 *Obrutam, & quietam. Metaph.* 6 *Obſeſſum intra mœnia.*

CAP. CXCI.

His labor, illis fructus.

[a]NON ſibi, ſed domino venatur 1 vertagus acer;
Illæſum leporem qui 2 tibi dente feret.
Prædo [b] fuit volucrum, 3 famulus nunc aucupis;
Decipit, & captas non 4 ſibi mœret aves. [idem
Omnia [c] 5 perſolvi, fruitur nunc 6 alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

Hos [d] ego verſiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis, aves;
Sic vos non vobis vellera fertis, oves;
Sic vos non vobis mellificatis, apes;
Sic vos non vobis fertis aratra, boves.

Autborum Loca.] a Mart. *L.* 14. *Ep.* 200. b Mart. *L.* 14. *Ep.* 216. c Tib. *L.* 1. *El.* 5. *v.* 17. d Verſus Virgilio attributi in vitâ ejus à Donato ſcriptâ.

Notæ.] 1 *Canis venatici ſpecies.* 2 *Domino ſuo.* 3 *Cicuratus.* 4 *Sed aucupi.* 5 *Sacra deis debita. Verba ſunt Tibulli, de ſe.* 5 *Rivalis meus.*

CAP.

CAP. CXCII.

Rarus sorte suâ contentus.

[voluptas?

[a]CUR sua nemo probat, cur sit nova grata
Cur capiunt animos plus aliena suis?
Fertilior seges est alienis semper in arvis,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Quî [b] fit, 1 Mecœnas, ut nemo, quam sibi 2 sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illâ
Contentus vivat? laudet 3 diversa sequentes?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait; multo jam 4 fractus membra labore:
Contrà mercator, navem jactantibus Austris,
Militia est 5 potior: quid enim? 6 concurritur horæ;
Momento, cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub 7 galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis 8 vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Optat [c] ephippia bos piger; optat arare caballus.
Et [d] melior vicina seges, majorque videtur;
Atque [e] aliena capella gerit distentius uber.
Cui [f] placet alterius, sua nimirum est odio sors.

Authorum Loca.] a Ov. Ar. Am. *L.* 1. *v.* 349. b Hor. *L.* 1. *Sat.* 1. *v.* 1. c Hor. *L.* 1. *Ep.* 14. *v.* 43. d Juv. *Sat.* 14. *v.* 143. e Hor. *L.* 1. *Sat.* 1. *v.* 110. f Hor. *L.* 1. *Ep.* 14. *v.* 11.

Notæ.] 1 *Nobilis Romanus, cui hæc inscripsit Horatius.* 2 *Vitæ conditionem.* 3 *Dissimilia vivendi instituta.* 4 *Habens membra fracta.* *Græcism.* 5 *Mercatura.* 6 *Prælium committitur.* 7 *De nocte, ante gallicinium.* 8 *Qui vades & sponsores dedit; hi enim suo promittunt periculo, se aliquem in judicio staturos; seu de capite, seu de pecuniâ agatur.*

CAP.

CAP. CXCIII.

Vitam quæ faciunt beatiorem.

HÆC vitam faciunt beatiorem;
Res non parta labore, ſed relicta:
Non 1 ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; ſalubre corpus;
Prudens ſimplicitas; pares amici;
Convictus facilis; ſine arte menſa;
Nox non ebria, ſed ſoluta curis;
Non triſtis 2 torus; attamen pudicus;
Somnus qui faciat breves tenebras;
Quod 3 ſis, eſſe velis; nihilque malis;
Summum nec 4 metuas diem, nec 5 optes.
Non [b] eſt (falleris) hæc beata non eſt,
Quòd vos creditis eſſe, vita non eſt,
Fulgentes manibus videre gemmas;
Aut teſtudineo jacere lecto;
Aut plumâ latus abdidiſſe molli;
Aut 6 auro bibere, aut cubare cocco:
Regales dapibus gravare menſas;
Et quicquid Libyco ſecatur arvo,
Non unâ poſitum tenere cellâ:
Sed nullos trepidum timere caſus;
Nec vano populi favore 7 tangi;
Et ſtricto nihil æſtuare ferro.
Hoc quiſquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco ſuperbus.
Si [c] tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;

S

Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triste
Nôssemus; nec 8 imagines superbas:
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, 9 virgo, thermæ;
Hæc essent loca semper, hi labores.

Autorum Loca.] a Mart. *L.* 10. *Ep.* 47. b E Fragm. Petron. Arb. c Mart. *L.* 5. *Ep.* 21.
Notæ.] 1 *Sterilis.* 2 *Uxor tori socia.* 3 *Contentus sorte tuâ.* 4 *Ut mali solent.* 5 *Ut miseri solent.* 6 *Poculo aureo. Metonym.* 7 *Moveri.* 8 *In nobilium atriis posita.* 9 *Virgo aqua, quam Romam adduxit Agrippa.*

CAP. CXCIV.

Ingenia maxima se coli patiuntur à minoribus.

[a] AUdet facundo qui carmina mittere 1 Nervæ,
Pallida 2 donabit, glaucia, Cosme, tibi.
Præstano 3 violas, & cana ligustra colono;
Hyblæis 4 apibus 5 Corsica mella dabit.
Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur 6 posito vilis oliva 7 lupo.
Tam [b] mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo 8 nullum poma dedisse putas?
Miraris [c] docto quod carmina mitto Severo,
Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem.
Juppiter ambrosiâ satur est, & nectare vivit?
Nos tamen exta Jovi, thura, merumque damus.
Omnia cùm tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

Offendunt

Offendunt [d] nunquam thura, proceſque Jovem.

——— Si [e] 9 Cereri ſua dona, merumque 10 Lyæo
Reddimus; & dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias 11 Diana 12 tholo 13; captivaque tela
Bellipotens 14: nec tu, quando tibi—majus
Eloquium, fandique 15 opibus ſublimis abundas;
Sperne coli tenuiore 6 lyrâ: vaga cingitur 17 aſtris
Luna; & in oceanum rivi cecidere minores.

——— [f] Forſan tener auſus eſt 18 Catullus
Magno mittere 19 paſſerem 20 Maroni.

Authorum Loca] a Mart. *L.* 9. *Ep.* 27. b Id. *L.* 7. *Ep.* 41. c Mart. *L.* 11. *Ep.* 58. d Id. *L.* 8. *Ep.* 24. e *Stat. Sylv. L.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 31. f Mart. *L.* 4. *Ep.* 14. *v.* 13.

Notæ.] 1 *Egregio Poëtæ, nondum Romæ imperatori.* 2 *Non minus ineptè facit; quam qui Coſmi myropolæ optimo, mittit vilem pallentis papaveris ſuccum, qui glaucium vocatur.* 3 *Alicui è Pæſto Lucaniæ oppido floribus abundante.* 4 *Optimis, ex Hyblâ Siciliæ monte.* 5 *Peſſima, ex inſulâ Corſicâ.* 6 *Ad menſam.* 7 *Piſce olim in deliciis habito.* 8 *Phæacum regi, cui ex horto nobili ſuppeiebant poma optima.* 9 *Frugum deæ.* 10 *Baccho vini Deo.* 11 *Ferarum ſpolia.* 12 *Venandi dea.* 13 *Templi teſtudine, pro templo. Synecd.* 14 *Mars.* 15 *Ingenio & eloquentiâ.* 16 *Aminori Poëta.* 17 *Specie minoribus, etſi revera majoribus.* 18 *Epigrammatum ſcriptor.* 19 *Carmen de paſſere.* 20 *Virgilio poëtarum optimo.*

CAP. CXCV.

Nimio metu quæ timemus incurrimus.

[2 peccant.

[a] FRangere dum metuis, frangis 1 cryſtallina:
Securæ nitmium, ſolicitæque manus.
——— [b] Multos in ſumma pericula 3 miſit
Venturi timor ipſe mali.——— —Multis

° Multis 4 ipſum
Timuiſſe nocet: multi at 5 fatum
Venêre ſuum, dum fata timent.

Tu [d] ne futurum ſolicitus pave
In pace bellum; qui patitur mala
Ventura præſenti timore,
Bis miſer eſt: cadit inque cladem.

Authorum Loca.] a Mart. *L.* 4. *Ep.* 111. b Lucan. *L.* 7. *v.* 104. c Sen. Oedip. *v.* 992. d Caſſim. Sarbiev. Lyr. *L.* 2. *Od.* 16.

Notæ.] 1 *Vaſa vel pocula ex cryſtallo confecta.* 2 *Frangunt pocula per timorem perinde ac per ſecuritatem.* 3 *Injecit.* 4 *Ipſe timor. Græciſm.* 5 *Mortem incurrerunt.*

CAP. CXCVI.

—Mortis cupidis mors ipſa timori eſt.

[a] PRoh! quanto levius mortalibus ægra ſubire
Servitia, atque hiemes, æſtuſque, fugamque
Atque famem, quàm poſſe mori! [fretumque
Uſque [b] adeone mori miſerum eſt?
Heu [c] quàm dulce malum mortalibus additum,
Vitæ 1 dirus amor: cùm 2 pateat malis
Effugium, & miſeros libera mors vocet,
Portus æternâ placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax 3 alta nullos civium cœtus
Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria aſperis inſana Coris;

Non acies feras,
Pulvereamque 4 nubem
Motam barbaricis equitum catervis,
Hoſticâ aut muros populante flammâ,
Urbe cum totâ populos cadentes,
Indomitumve bellum. Perrumpet omne
Servitium contemptor 5 levium deorum,
Qui vultus 6 Acherontis atri,
Qui 6 Styga triſtem non triſtis videt,
Audetque vitæ ponere finem;
Par illic regi, par ſuperis erit.
O quàm miſerum eſt neſcire mori!

Autborum Locca.] a Sil. It. *L.* 13. *v.* 883. b Virg. *Æn. L.* 12. *v.* 646. c Sen. Agam. *v.* 579.

Notæ.] 1 *Cùm vitam cupiant etiam miſeri.* 2 *Nempe per mortem, quæ Stoicis portus aliquando petendus, nunquam recuſandus.* 3 *In ſepulchro ſecura tranquillitas.* 4 *Pulverem ad modum nubis excitatum. Metaph.* 5 *Non ultra mortem nocere valentium.* 6 *Flavium infernum, pro manibus ſeu ſepulchro poſitum.*

CAP. CXCVII.

——Mora rebus agendis
Utilis interdum eſt.

[a] DA breve ſævitiæ ſpatium pelagique tuæque;
Grande moræ pretium 1 tuta futura via eſt.
Nubere [b] ſi qua voles, quamvis properabiti ſambo,
Differ; habent parvæ commoda magna moræ.
Nulla [c] unquam de morte hominis cunctatio 2 longa eſt.
—— [d] Nè 3 fræna animo permitte calenti:

Da

Da ſpatium tenuemque moram; malè cuncta 4 Impetus.—— [miniſtrat

——[e] Cladi parce obvius ire,
Dum tranſit Divûm furor, & conſumitur ira
Fortunæ.—[f] Dum deſinat aura, 5 ſinuſque
Deſtituat tumidos ſubducto flamine ventus;
In 6 rem cunctari fuerit.——

Unus [g] 7 homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim 8 rumores ante ſalutem:
Ergo poſtque magiſque viri nunc gloria claret.

——[h] Quicquid eſt, da tempus ac ſpatium tibi:
Quod ratio nequit, ſæpe ſanavit mora.

Autborum Loca. a Ov. *Ep.* Did. *ad Æn. v.* 73. b Ov. *Faſt. L.* 3. *v.* 393. c Juv. *Sat.* 6. *v.* 220. d Stat. *Theb. L.* 10. *v.* 704. e Sil. It. *L.* 7. *v.* 243. f Id. *L.* 9. *v.* 46. g Ex Ennii Fragmentis. h Sen. *Agamem. v.* 128.

Notæ. 1 *A maris periculis.* 2 *Quia pœna dilata poteſt exigi, non poteſt exacta revocari.* 3 *Ne iræ cede.* 4 *Adminiſtrat, ordinat.* 5 *Velorum ſinus; id eſt, donec fortuna hoſti tuo favere deſierit. Aliegor.* 6 *In commodum tuum.* 7 *Fabius maximus qui Annibalem Romæ inimiciſſimum pugnam differendo maceravit.* 8 *Populi Romani morat ejus increpantis.*

CAP. CXCVIII.

Amor ingenii neminem divitem fecit.

[a]Plerios differ 1 cantuſque choroſque ſororum:
2 Æs dabit ex iſtis nulla 3 puella tibi.
Quid petis à 4 Phœbo? nummos habet arca 5 Minervæ;
Hæc ſapit, hæc omnes fœnerat una deos.
Quid poſſent hederæ 6 Bacchi dare? Palladis 7 arbor
Inclinat varias pondere nigra comas. Præter

Præter aquas 8 Helicon, & ſerta, lyraſque dearum
Nil habet, & magnum ſemper inane ſophos.
Quid tibi cum Cyrrhâ? quid cum Permeſſidos undâ?
Romanum propius, divitiuſque 9 forum eſt.
Illic æra ſonant: ſed circum pulpita noſtra,
Et 10 ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Dentibus [b] antiquas 11 ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetuſque 12 ſolum:
Prænestina tenes defuncti rura Patroni,
In quibus indignor ſi tibi cella fuit.
At me literulas ſtulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis rhetoribuſque mihi?
Frange 13 leves calamos, & ſcinde, 14 Thalia, libellos:
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Hoc, [c] fortuna, tibi videtur æquum?
Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis comes cataſtis,
Sed 15 plebe Remi, 15 Numæque vernâ,
Jucundus, probus, innocens, amicus,
Linguâ doctus 16 utrâque, cujus unum eſt,
Sed magnum 17 vitium, quod eſt poeta;
Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco 18 mulio fulget in Incitatus.

Auctorum Loca. a Mart. L. 1. Ep. 77. b Ju. L. Id. L. 10. Ep. 76. c Horat. *Notæ.* 1 *Poeticæ ſtudium deſert.* 2 *Pecuniam ex ære.* Metonymia. 3 *Muſæ.* 4 *Poeticæ Deæ.* Cæſarum; [illegible] Deæ Muſæ. 6 *Poetarum autoris.* 7 *Olivæ rami ubertate curvantur.* 8 *Muſis ſacer, ſicut & Cyrrha & Permeſſis.* 9 *In quo cauſæ aguntur.* 10 *Nil lucri allaturas.* 11 *Suter.* 12 *Rupti calcei ſuleam.* 13 *Abjice ſtudia.* 14 *Muſarum una.* 15 *Civis Romanus.* 16 *Græca & Latina.* 17 *Nam paupertas Poeticæ alumna.* 18 *Purpura.* 19 *Auguſto.*

FINIS.